
SYNODVS
DIOECESANA POLYCASTRENSIS
AB
VRBANO FELICEO
EIVSDEM ECCLESIÆ EPISCOPO
CELEBRATA
ANNO M. DC. XXXII.

Die xx. mensis maij: in eccl.a majori Policastrensi.



ROMÆ, Typis Vaticanis. M.DC.XXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Haec Synodus laudat in Synodo Belca-
strensi ~~Phil~~ Epi Jacobi Alessandrij
an. 1655:

Digitized by Google

EDICTVM

SYNODICAE INDICTIONIS

VRBANVS FELICEVS DEI, & Apoſtolicæ Sedis gratia, Epiſcopus Polycaſtrenſis, Dominus in Temporalibus Turris Vrſaiæ, Petrutiæ, &c.

Vniuerſo Clero, & Populo Vrbis Polycaſtri, eiuſque Diœceſis. *S. I. D. S.*

FRequentes Noſtræ Diœceſis moleſtię ita nos hactenus interpellarunt, vt ne dum prorſus à ſtudijs animum abduxerint; ſed eum etiam moroſis negotijs implicitum, forenſi ſtrepitu penè obtuſum, & medijs hiſce Viſitationis curis diſtentum, ac preſſum, ad Diœceſanam Synodum meditandam, & conſcribendam ſimul, compulerint. Nec miramur, quùm ea ſit cuiuſlibet egregij facinoris conditio, vt quo maiori induſtria quis illud aggredi contendit, eo maiora illi opponantur obſtacula. Elaborandum igitur eſt cunctis mortalibus, vt cum duriorem, pro Deo, in terris prouinciam ſuſcipimus, dulciori in Cælis laborum fructu recreemur. Equidem *labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Psal. 127. vers. 2. Summa propterea hac ſpe erecti, poſt exantlatas pręſentis Viſitationis ærum-

Digitized by Google

nas, negotium nobis faceſſere Diœceſanam Synodum intelligimus. Cuius onus quùm omnibus incumbat, omnes monendos eſſe duximus; immo præcipiendum eſſe cunctis, Capitulo, & Canonicis noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, aliarumue Abbatialium, & Parochialium Eccleſiarum Abbatibus, tam Secularibus, quàm Regularibus; Commendatarijs, Rectoribus, Archipresbyteris, Prioribus, Æconomis, Parochis, Parochorum Coadiutoribus, Procuratis, Cantoribus, Vicarijs foraneis, cæteriſque Eccleſiaſticis perſonis, quæ de Iure, aut conſuetudine ad Diœceſanam Synodum accedere debent, vt die xx. proximè futuri menſis Maij, qui triumphalis eſt Redemptoris noſtri ad Cęlos Aſcendentis dies, ac duobus ſequentibus, in maiorem noſtram Eccleſiam, Synodalibus Decretis aſſeſſuri, perſonaliter conueniant; nec inde abſcedant, ſine ſpeciali noſtra licentia; ſub pœnis à Sacris Canonibus inflictis, alijſque arbitrio noſtro expetendis. Atque vt hæ literæ melius omnibus innoteſcant, ac, velut ſingulis intimatæ, quemlibet afficiant, qui Synodo intereſſe cogitur, mandamus illas per manus noſtri Capituli, & cuiuſuis alterius Cleri locorum noſtræ Diœceſis, de more circumferendas eſſe. Datum RoccæGlorioſæ in progreſſu ſecundæ noſtræ Generalis Viſitationis xij. Cal. Aprilis M. DC. XXXII.

VRBA-

VRBANI FELICEI
EPISCOPI POLYCASTRENSIS
Præmonitio ad Clerum.

PRæclarè quidem S. Hieronymus contra Iouinianum teſtatum reliquit: *Seruiuit*, nimirum, *Abraham legi, & tempori ſuo; ſeruiamus & nos legi, & tempori noſtro*. Quamobrem (dilectiſsimi fratres) noſtro muneri vt toto pectore incumberemus, vobis fortaſſe Diœceſana Synodus multo antea habenda eſse videbatur. Tertius enim agitur annus, cum ipſi, Polycaſtrenſis Eccleſiæ excubias vt ageremus, culmen Prælationis accepimus, & tamen ad hanc vſque diem Synodum protraximus. Verùm enim verò vt legi, & tempori omni ſtudio ſeruiremus, id totum à nobis geſtum eſse cenſeatis. Maiorem namque veſtri commodi, ac firmiſsimi Iuris rationem ducentes, operæpretium eſſe exiſtimauimus, vt, colluſtrata bis vniuerſa Diœceſi, perpenſis omnium moribus, inſpectiſque omnibus corruptelis, leges eas, quantum in nobis eſt, conſultò ſanciremus, quæ perpetuò vigerent, & quarum delectu grex nobis diuinitùs commiſſus à noxijs aſſiduè pabulis longiſſimè abhorreret. Non enim nos latuit, & ſæpè etiam vehementer doluimus, ſaluberrima Synodorum ſtatuta à Prædeceſſoribus noſtris ſapienter, ſanctiſsimèque condita, quùm ea non fuerint typis excuſſa, ad paucorum manus deueniſſe: immo aliquas etiam eorundem Conſtitutiones, non tam veſtra incuria, quam temporum iniuria, & antiquiſsimi hoſtis verſutia, ſeneſcentes, ſeù potius euaneſcentes, omnino deperijſſe: adeo vt nec earū authenticum exemplum, nec memoria nunc vel exigua ſuperſit: alias verò ita innouatas, expunctas, diminutas, auctas, retentas, vel abrogatas eſſe, vt in tanta legum, & temporum varieta-

te,ancipites vos,atque hærentes,velut in biuio, verſari proſpexerimus,acerbiſſimoq. etiam dolore affecti ſimus.Compertum ſanè habuimus compluribus Prædeceſſoris noſtri zelantiſſimi Decretis Eccleſiaſticas Cenſuras annexas eſſe; quapropter tam ingens ſcrupulus nobis iniectus eſt, vt vereamur ne paſſim non pauci illas incurrant;Quod iure optimo ad nos quoque & veſtris literis, & ſermone multorum perlatum eſt. Idcirco vt ſanę omnium conſcientiæ, animorumq. tranquillitati pro viribus conſulamus, ſelectis modo nonnullis,quæ in rem cadere viſa ſunt, Decretis B.M. Eminentiſſimi Philippi Epiſcopi Cardinalis Spinelli, & Ioannis Antonij Sanctonij Antiſtitis pręclariſſimi; illisq. Iarinè redditis,noſtra frequenter ſubſcribere placuit,quę pro Diœceſis captu, atque neceſſitate, ad Eccleſiaſticam diſciplinam excitandam,& tuendam magis, ac maximopere propagandam, conducere poſſunt. Cætera verò Superiorum Synodorum Acta,quorum mox nihil meminerimus,ſuppreſſa penitus,abrogata,& irrita eſſe decernimus. Atque vt hæc Synodus eodem vitio cum alijs hactenus celebratis neutiquam laboret, illam prælis mandandam eſſe duximus; cum vt clarius innoteſcat,& ferueat; tum vt ſedulo magis,velut quædam Eccleſiaſticę Pædia Politices,prę manibus habeatur. Conſtituimus aurem neminem ad huius Synodi obſeruationem obſtringi, niſi elapſo menſe, poſt eius promulgatam impreſsionem; & vbi nulla Decretis adiecta eſt pœna, vel à Iure ſtatuta, illam arbitrio noſtro, prout delicti conditio feret,infligendam relinqui.Tandem ſi cui fortè ſuo debito loco non ſedere,vel incedere, aut altum quemlibet proprium de Iure, vel de more, actum exequi non contigerit, nulli tum nouum Ius acquiſitum fore, nulliq. etiam præiudicium afferri declaramus; *vt omnes vnanimes, vno ore glorificemus Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Veſtræ interim partes erunt (Venerabiles Sacerdotes) vt opus, quod nos paterna ſolicitudine nauare ſatagimus, vos omni induſtria, & diuina Deiparæ Virginis Eccleſiæ noſtræ pientiſsimę Tutelaris ope ſuffulti,exequi,& illuſtrare ſtudeatis.

In no-

In nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

SESSIO PRIMA.

DE PROFESSIONE, DOCTRINA, ac CVLTV Fidei.

De profeſsione Fidei. Cap. I.

1 ORthodoxæ Fidei profeſſionem, quæ, Sophoniæ teſtimonio, eſt ***labium electum**, vt inuocent omnes in **nomine Domini**, & ſeruiant ei humero vno*, in ipſo primæ Synodi noſtræ veſtibulo à nobis omnibus religioſè emittendam eſſe, meritò ex Sacroſancto Concilio Tridentino ſtabilimus. Breuis autem formula profitendæ Fidei, qua nos primùm, & cæteri poſtmodum intereſſentes nunc pro tempore vtimur, hæc eſt, videlicet

Cap. 3. verſ. 9.
Seſs. 25. c. 2. de Ref.

2 Ego N. N. Recipio, Promitto, Spondeo, Profiteor, Deteſtor, Anathematizo, Voueo, & Iuro, vt in Decretis, & Formula profeſſionis Fidei ex Bulla Sanctiſſimi Domini noſtri Pij Papæ Quarti, ſingula ſingulis referendo: ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Bulla præfata Pij IV. hic prius recitata fuit tota de verbo ad verbum.

3 Publicam Fidei profeſſionem piè, inuiolatèque ſeruabunt, & proferant omnes, quibus Dignitates, Canonicatus, & Parochialia munia contigerit obtinere.

Trid. ibid.

4 Præterea qui Grammatices, Medicinæ, cæterarumq. liberalium diſciplinarum profeſſores ſunt, tam Seculares, quàm Regulares: Concionatores quoque verbi Dei in hac

Pius IV. anno 1564. & ex Trid. ſeſſ. 5. c. 2 & ſeſſ. 24. c. 12. de Réf.

Digitized by Google

noſtra Diœceſi, priuſquam tale munus obeant, coram nobis, vel generali noſtro Vicario, eandem Fidei profeſſionem enuncient.

5 Omnia denique in hac Synodo ſancita, S. R. E. omnium Eccleſiarum matris, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, iudicio, & correctioni humillimè ſubijcienda eſſe profitemur.

De Doctrina Chriſtiana. Cap. II.

1 SAlutarem Doctrinæ Chriſtianæ catechiſmum ad pueros, puellaſque inſtruendas, præcipuum eſſe Parochorum munus agnoſcimus. In eam igitur hi potiſſimùm curam animi vires intendant, quæ in Fidei myſterijs explicandis ſtudioſè requiritur. Quare ſingulis diebus Feſtis de præcepto ſtatim à prandio pueros, ac puellas ex vniuerſo oppido, datis per viam Tintinnabuli ſignis, intus matricem Eccleſiam, proceſſionis inſtar, collectas, Chriſtianæ Doctrinæ præcepta, per ſe, vel per alios idoneos Sacerdotes, edoceant.

2 Puerorum verò Parentes, vel alij, qui illorum curam gerunt, ſtudeant eos ad Eccleſiam conuenire, vt chriſtianæ Fidei documentis ad ſalutem penitus neceſſarijs erudiantur. Quibus ſalutis æternæ inſtitutis Parentes ipſi ſuos etiam natos imbuere debent. propterea ipſos ſæpè Parochi tanti præcepti grauiter commoneant: & qui valde negligunt pueros ad Eccleſiam mittere, ab ijſdem Curatis ſedulo nobis indicentur, vt in poſterùm conſulamus.

3 Non pauci etiam hominum ſunt, qui quùm animalium cuſtodijs inſiſtant, optimam anni partem in Villis, ac Nemoribus incultiſſimi tranſigunt, & chriſtianæ profeſſionis vix nomen retinent. Eccleſias enim ſemel, aut bis per annum adeunt, vt ſua peccata ruditèr confiteantur, & ſanctiſſimam Euchariſtiam obiter ſumant: & tamen ipſæ etiam Animæ ſunt, non corruptibilibus, auro, vel argento, redemptæ, ſed pretioſo ſanguine, quaſi Agni immaculati, Chriſti

Chriſti Redemptoris noſtri. Quare, vt eorum ſaluti ſedulò proſpiciamus, ſeuerè mandamus omnibus Curatis noſtræ Diœceſis, ſub pœna carceris per ſex menſes, vt eiuſmodi rudium virorum nomina in peculiari libello connotent, ac ſemel in menſe illos ad Parochias conuocent; ibique Chriſtianæ doctrinæ rudimentis excolant, atque informent; myſterijs præcipuè ſanctiſſimæ Trinitatis, Chriſti Domini Incarnationis, & quatuor Nouiſſimorum. Atque hanc occaſionem dum vrgent, peccatorum quoque genera eis explanent, in quæ ſæpius corruunt; iubeantque ſimul, vt feſtis diebus de præcepto ad Miſſæ ſacrificio reuerenter intereſſendum, commiſſa alteri Socio Animalium cuſtodia, per vices ſaltem, in Eccleſias conueniant. Ad quæ animum etiam intendere debent Patresfamilias, & eorundem Villicorum Domini, qui hæc eis ſæpiſſimè prohibent; ne in ipſos meritò animaduertendum ſit pœnis ſtatutis contra eos, qui Miſſas per menſem non auſcultant; interdicto nimirum ab ingreſſu Eccleſiæ; cum ijdem Ruſtici, ipſorum culpa, delinquant.

De Prædicatione verbi Dei. Cap. III.

1 SEntentia B. Pauli eſt, vt Concionatores verbi Dei Chriſtum prædicent, & hunc Crucifixum. Quam ob cauſam caueant hi ne futiles, vanas, ac ridiculas Conciones habeant; ſed graues, pias, atque Animarum ſaluti, & audientium captui planè congruas, ac perutiles. Quocirca eorum Sermo ſit de Virtutibus, ac Vitijs: De Præmijs, ac Pœnis: Atque ea grauitate, & prudentia ſe præſtantes oſtendant, vt, ſicut de cuiuſque loci vitijs circunſpectè cognoſcere debent, ita in quæ frequentiora ſunt crimina, pro tempore inuehantur; ac neminem particulari verborum lubricitate redarguant, ſed populorum peccata communibus verbis reprehendant; vt vnuſquiſque Chriſti Domini præceptis imbutus, ad eius conſuetudinem,

nem, moreſque deducatur; & quod ipſi ore prædicant, opere compleant.

2 Nonnulla ſunt noſtræ Diœceſis Oppidula, quæ quùm ſumma ægeſtate premantur, Concionatorem nequeunt integro Quadrageſimæ curriculo ſuſtentare; ideoque vnus pluribus in locis eadem Euangelica Legatione fungi debet, vt ſingulis, pro viribus, ſatisfaciat, atque vberrimus diuini verbi fructus ab omnibus percipiatur. Quare Conciones de Quatuor Nouiſſimis; de Sacramentis; de Eccleſiaſticis Cenſuris pertimeſcendis; de Indulgentiarum valore; de Paſſione, ac Reſurrectione Domini, vbique locorum religioſiſſimè habeat.

3 Cæterùm antiquam locorum conſuetudinem, quoad præcedentiam, atque alia, in omnibus ſeruandam eſſe decernimus.

4 Opportunum etiam tempus Redemptoris noſtri Paſſionis piè, reuerentèr, & quàm grauiter prædicandæ ſtatuimus eſſe vel matutinum feriæ ſextæ in Paraſceue, vel ad Veſperas feriæ quintæ in Cœna Domini: ita tamen vt integra Concio ad ipſam Salutationis Angelicæ horam producta prorſus abſoluatur; ſub pœna Suſpenſionis ipſo facto ab officio prædicandi, contra eos, qui non interdiu, ſed noctu concionari præſumpſerint; & carceris arbitrio, aduerſus Parochos non impedientes.

5 Porro in Eccleſijs, quæ noſtræ Iuriſdictioni ſubiacent, nullo pacto tam Seculares, quam Regulares Sacerdotes Concionem habeant, ſine ſpeciali noſtra licentia. Regulares præterea in Eccleſijs etiam ſuorum Ordinum prædicandi munus non præſtent, niſi ad nos prius, oſtenſa legitima ſuorum Superiorum obedientia, ſe ſe conferant, & benedictionem petant, ſub eadem Suſpenſionis pœna.

Trid. ſeſſ. 5. c. 2. & ſeſſ. 24. c. 4. de Ref.

6 Ipſo Prædicationis tempore nec Miſſæ, nec alia diuina officia in eadem Eccleſia celebrentur: nec tumultus aliquis, vel exiguus, excitetur: aliàs tranſgreſſores ipſi eijciantur extra Eccleſiam à Parocho, vel à Vicario foraneo; ea tamen, qua par eſt, prudentia.

Quoniam

7 Quoniam Clericorum deuotio Laicis exemplo eſſe, & non eos ſcandalo afficere debet; ideoque ſerio iniungimus cuilibet, tam in minoribus, quàm in maioribus Ordinibus conſtituto, vt nec ab vna Quadrageſimæ Concione, ſine legitimo impedimento, à Parochis probando, vacet; ſub pœna vnius Caroleni ſtatim inter Pauperes diſtribuendi à Vicario foraneo.

8 Sæpiſſimè verò exploratum habuimus, Syndicos, & Electos laicarum Vniuerſitatum, vaniſsimo cuiuſdam nouæ taxationis prætextu, ita imminuere Prædicatorum Eleemoſynas, vt ne dum illæ ſatis Religioſorum Patrum meritis reſpondere, ſed nec itineris etiam ſumptus ferre valeant. Quocirca, quùm iuxta Tridentini Concilij, & Sac. Congregationis Decreta, nequeant laici laudabiles conſuetudines infringere, & Concionatorum mercedes reſcindere; conſuetam publici Aerarij Eleemoſynam largiantur omnes, vt viros Apoſtolicæ Prædicationis oneri non impares adſiſcere poſſimus: quos libentiſſimè ſemper recipiant, ac liberaliter tractent; ſub pœna Eccleſiaſtici Interdicti, aduerſus Vniuerſitates, & Excommunicationis, contra particulares.

Seſſ. 24. c. 4. Sac. Congreg. Epiſc ad Nuntium Neapolitanum, & ad Epiſcopū Caſſaneñ 3. Iulij 1590.

9 Nullius tandem Pauperis Eleemoſynam populo commendent Concionatores, abſque noſtra, vel Vicarij Generalis, aut ſaltem foranei, licentia. Atque in hanc curam incumbat Prædicator, vt Eleemoſynæ non niſi miſerandis, & re vera egentibus perſonis erogentur, ac ne turpis aliquis quæſtus latitet.

De Blaſphemia. Cap. IV.

1 Leuitici perhorrenda verba ſunt: *Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum: & qui blaſphemauerit Nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimat eum omnis multitudo populi, ſiue ille Ciuis, ſiue Peregrinus fuerit*. Qua de cauſa Confeſſarij non leniter contra

Cap. 24. verſ. 15.

De Blasphemia videas in Concil. Prov. Capuano an. 1569.

Blaſphe-

Leo X. in Cõcil. Lat. Pius V. in Bulla, quæ incipit, Cum primùm, &c.

Blaſphemos ſe gerant, ſed accerrima pœnitentia iniuncta illos plectant, iuxta Conſtitutiones Leonis X. & Pij V.

2 Præcipuè aduerſus publicum, & ex praua conſuetudine blaſphemantem Deum, vel B. Virginem, ſciant Gregorium IX. hanc pœnitentiam conſtituiſſe; vt is ſeptem diebus Dominicis, dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, præ foribus Eccleſiæ, ligatus corrigia circa collum, ſiſtatur; ſeptemque ferijs Sextis in pane ieiunet, & aqua, nullatenus per id tempus Eccleſiam ingreſſurus.

Cap. Statuimus de Maled.

3 Qui autem aliquem tam nefarium ſcelus patrantem audierint, ſi ad nos, vel noſtram Curiam deferent; vel fraternæ correctionis officium in illum exercebunt, decem annorum Indulgentiam, ab eodem Leone PP. X. conceſſam, lucrifacient. *

loc. cit.

De Magicis Artibus, Veneficijs, Incantationibus, Sortilegijs, & vanis Superſtitionibus. Cap. V.

Lib. 3. in Iob.

1 Egregiè ab Origene de nugatorijs, atque improbis hiſce Artibus teſtatum accepimus: nimirum, *Diaboli ſunt ſeductiones, Dæmonum ſunt irriſiones, Idololatriæ ſunt fex, Animorum Infatuatio, & Cordium Scandalum*: Quare in his etiam accuratè inueſtigandis, & ſeuerè corrigendis, inuigilare debent Confeſſarij, & Parochi.

2 Omnes verò vtriuſque ſexus Chriſti fideles, qui tam impio ſcelere aliquem affectum eſſe dignoſcent, ſub Excommunicationis latæ ſententiæ pœna, nobis, vel Generali noſtro Vicario, fideliter denunciabunt.

3 Quam Anathematis ſententiam pronunciamus etiam in illos, qui rebus, vel verbis ſacris, ad Incantationem, Maleficium, Sortilegium, Diuinationem, & quamlibet ſuperſtitioſam conſuetudinem, abutuntur.

4 Imo Conſtitutionem de hac re fel. rec. Greg. XV. quæ incipit; Omnipotentis Dei, &c. inuiolabiliter obſer-

uandam

uandam eſſe mandamus : nempe, Si quis pactum cum Diabolo fecerit, & à Fide apoſtatando, maleficijs, ſiue Sortilegijs, & Facturis, vt vulgò dicuntur, vnam, ſeu plures perſonas ita læſerit, vt ex Maleficio, vel Sortilegio mors ſecuta ſit; etiam pro primo lapſu, Curiæ Seculari tradatur, debitis pœnis puniendus: qui verò ſimiliter apoſtatando, pactum cum Diabolo, vt præfertur, fecerit, & Maleficium, ſeu Sortilegium commiſerit, ex quo licet mors ſecuta non ſit, infirmitas tamen, diuortia, impotentia generandi; ſiue Animalibus, frugibus, vel alijs fructibus, damnum notabile prouenerit, muro claudatur, ſiue perpetuo Carceri mancipetur.

5 Pœnis ſimilibus coerceantur illi, veræ Fidei Deſertores, qui nefaria & flagitioſiſsima Maleficia moliuntur, vt quiſpiam ab immundis ſpiritibus obſideatur; quique vt iter arripiant, vel rem quamlibet inſtituant, dies, tempora, ſiue momenta, ſuperſtitioſè, & dementer obſeruant; & quadrupedum voces, Auium garritum, vel volatum, notant; ex occurſu etiam hominum, vel pecudum, aggrediendi alicuius operis felicem, vel miſerum euentum augurantur; atque iſtis prçſtigioſis artibus, & fallacijs theſauros abſconditos, & furta inueſtigare ſtultiſsimè ſe poſſe confidunt.

6 Plenum futilitatis, ſummæque leuitatis eſt etiam quarundam Mulierculaꝛum inuentum, in nonnullis noſtræ Diœceſis locis, vt die Sabbati Sancti, ſtatim ac datum eſt ab ipſis vanè expectatum ſolutæ campanæ ſignum, fermentum conficiant. Quemadmodum eſt illud indocti vulgi anile figmentum, vt qui lepra, ſeu ſcabie laborant, ipſomet Sabbato Sancto, vt primum audiunt pulſatæ Campanæ bombum, ſe ſe in mare, ad abluendum, immergunt, vt mundentur: atque ita dum corporis ſanitatem inſanè procurant, animæ ſalutem ſuperſtitioſè deperdunt. Abſtineant ergo omnes ab vtriſque enarratis Campanarum præſtigijs, aliàs ſint ipſo facto excommunicati.

7 Quam etiam pœnam incurrant, qui ex capite, ſtomacho, ſiue alia aduerſa valetudine laborantes, vel inflicto vulnere

vulnere tabeſcentes, conſulunt ſuſpicioſam Anum, vel Veneficam aliam perſonam, quæ certis verbis, Amuletis, Cataplaſmate, Vncturis, alijſque inanibus nugis, ad ſanitatem tuendam, vtuntur; Quùm iſta omnia non ſine Anicularum deliramentis, ac Dæmonum circumuentione reſideant; & eo magis, quando diuina, & ſacra verba admiſcentur. Atque vt timore pœnæ ſceleſtiſsimi hominum tantæ impietati addicti perterreantur, ſubſcribendam eſſe duximus Sixti V. religioſiſsimam Conſtitutionem, quæ incipit Cæli & terræ, &c. à §. tamen &c. *Alij enim Geomantiæ, &c.* videlicet.

Ad omnia hęc inferius enumerata animũ diligenter aduertant Parochi, & Confeſſarij, vt penitus eradicentur.

8 *Alij enim Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, alijs Sortilegijs, & Superſtitionibus, non ſine Dæmonum, ſaltem occulta Societate, aut tacita pactione, operam dare, ſeu illis, ac ſortibus illicitis taxillorum, granorum triticeorum, vel fabarum iactu, vti non verentur. Alij verò aliquas priſtinæ, & antiquatæ, ac per Crucis Victoriam proſtratæ Idololatriæ reliquias retinentes, quibuſdam augurijs, Auſpicijs, ſimilibuſque ſignis, & vanis obſeruationibus ad futurorum Diuinationem intendunt. Alij item ſunt, qui cum morte fœdus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, qui ſimiliter ad occultorum diuinationem, ad inueniendos theſauros, vel ad alia facinora perpetranda, etiam expreſſa cum Diabolo pactione facta, in manifeſtam ſuarum perniciem animarum, nefarias magicæ Artis Incantationes, Inſtrumenta, & Veneficia, adhibent circulos, & Diabolicos characteres deſcribunt, Dæmones inuocant, aut conſulunt, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, aut aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumicationes, aliaue ſacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus Sacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus Sacrilegè abutuntur; adorationis, genuflexionis, aut quæuis alia impietatis obſequia præſtant, cultum venerationemue tribuunt; aut annulum, vel ſpeculum, aut paruas Phyalas ſibi fabricant, aut fabricari curant ad Dæmones in eis alligandos, ſeu includendos, vt putant, ad reſponſa ab ipſis inde petenda, aut habenda. Alij præterea etiam in corporibus obſeſſis, vel lymphaticis, & phanaticis mulieribus Dæmones de futuris,*

vel

Digitized by Google

vel occultis rebus, aut factis exquirunt, vt meritò ab eis, quos Dominus in Euangelio tacere imperauit, vanas, mendaceſque referant reſponſiones. Alij quoque Præſtigiatores, frequentius verò Mulierculæ quædam ſuperſtitionibus deditæ in Phyalis, ſeu vaſculis vitreis Aqua plenis, vel in ſpeculo, accenſis Candelis, etiam benedictis, ſub nomine Angeli Sancti, & Albi, Diabolum omnium malorum Satorem ſupplices adorantes, vel in vnguibus, aut palma manus, quandoque etiam oleo perunctis, eundem omnium fallaciarum Architectum orant, vt ſimiliter futura, vel occulta quæuis, per ſpectra, & apparentes Imagines, ſeu phantaſticas Viſiones ſibi oſtendat; aut ab eodem patre mendacij Diabolo alijs incantationibus, aut varijs ſuperſtitioſis obſeruationibus, futurorum, & occultorum huiuſmodi veritatem querunt, & hominibus prædicere contendunt. Quorum omnium, quæ ſupra enumerauimus, conſimilis impietas parem exitum habet; nimirum quod Dæmonis præſtigijs, ac dolis, tum qui diuinant, tum qui diuinationem expetunt, illuſi, ac deluſi miſerrimè reperiuntur, &c. & infra: *Nos igitur, qui pro noſtro Paſtoralis officij munere fidei integritatem inuiolatam conſeruare debemus, & animarum ſaluti proſpicere, quantum diuina gratia adiutrice poſſumus, ex paternæ charitatis viſceribus optamus; damnantes & reprobantes omne genus diuinationum, quæ Diabolo auctore ad fidelium deceptionem à prædictis curioſis, vel perditis hominibus fieri ſolent. Cupientes præterea Sanctam illam Chriſtianæ Religionis ſimplicitatem, præſertim vbi agitur de ſumma Creatoris Dei poteſtate, ſapientia, & prouidentia, ab omni erroris labe integram, atque incorruptam, vt par eſt, retineri: volentes quoque prædictæ falſæ credulitati, ac huiuſmodi illicitarum Diuinationum, & Superſtitionum deteſtabili ſtudio, & execrandis flagitijs, atque impuritatibus occurrere, vt de Chriſtiano populo meritò dici poſſit, quod de antiquo Dei populo ſcriptum eſt: Non eſt augurium in Iacob, neque Diuinatio in Iſrael: Hac perpetuò valitura Conſtitutione, authoritate Apoſtolica ſtatuimus, & mandamus, vt tam contra Aſtrologos, Mathematicos, & alios quoſcunque dictæ Iudiciariæ Aſtrologiæ artem, præterquam circa Agriculturam, Nauigationem, & rem Medicam*

in po-

Digitized by Google

in poſterum exercentes, aut facientes Iudicia, & Natiuitates hominum, quibus de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſque Caſibus, aut actionibus, ex humana voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmare audent; etiam ſi id ſe non certò affirmare aſſerant, aut proteſtentur, quàm contra alios vtriuſque ſexus, qui ſupradictas damnatas, vanas, fallaces, & pernicioſas diuinandi artes, ſiue ſcientias exercent, profitentur, & docent, aut diſcunt; quiue huiuſmodi illicitas diuinationes, Sortilegia, Superſtitiones, Veneficia, Incantationes, ac præmiſſa deteſtanda ſcelera, & delicta, vt præfertur, faciunt, aut in eis ſe quomodolibet intromittunt; cuiuſcunque Dignitatis, Gradus, & Conditionis exiſtant, tam Epiſcopi, & Prælati, Superiores, ac alij Ordinarij locorum, quàm Inquiſitores hæreticæ prauitatis, vbique gentium deputati, etiam ſi in pleriſque ex his caſibus antea non procedebant, aut procedere non valebant, diligentius inquirant, & procedant; atque in eos ſeuerius Canonicis pœnis, & alijs eorum arbitrio animaduertant. Prohibentes omnes, & ſingulos libros, opera, & tractatus huiuſmodi Iudiciariæ Aſtrologiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, Artis Magicæ, aut in quibus Sortilegia, Veneficia, Auguria, Auſpicia, execrabiles Incantationes, ac Superſtitiones continentur, ac vt ſupra in memorato Indice interdictos, ſub Cenſuris, & pœnis in eo contentis, à quibuſcunque Chriſtifidelibus legi, aut quomodolibet retineri; ſed illos Epiſcopis, & Ordinarijs locorum, vel Inquiſitoribus prædictis præſentari, & conſignari debere. Et nihilominus eadem auctoritate ſtatuimus, & mandamus, vt contra ſcienter legentes, aut retinentes libros, & ſcripta huiuſmodi, ſeu in quibus talia continentur, ſimiliter ijdem Inquiſitores liberè, & licitè procedant, ac procedere, & pœnis condignis punire, & coercere poſſint, &c.

De Exorciſmis. Cap. VI.

1 DVm grauiſsimo, ac pio munere Exorcizandi Obſeſſos à Dæmone Sacerdos aliquis ſumma reli-

gione,

Digitized by Google

gione, ac prudentia præditus, fungi debet; is, quùm ſibi non *ſit colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus Principes, & poteſtates tenebrarum*, ſemper ſe Ieiunijs, oratione, accurata peccatorum expiatione, ac ſacræ Communionis robore præmuniat. quod idem, vt piè, & attentè præſtet Exorcizandus, omnino curet: nec tale munus obeat, ſine noſtra licentia in ſcriptis commiſſa.

2 Examinet quoque diligenter vitam, ac mores Energumeni, num ab immundis ſpiritibus, vel morbo potius aliquo vexetur, & Medicum conſulat.

3 Tum verò, cum hoc Chriſtianæ charitatis onus ſubit, caueat ne à regulis in Romano Rituali traditis tranſuerſum vnguem diſcedat, eaſque optimè calleat.

4 Abhorreat præcipuè à vanis nonnullis, & curioſis percunctationibus, quibus nefarij Spiritus, mendaciorum artifices, incitantur ad futurorum diuinationem, ſiue fallax aliud reſponſum.

5 Obſeſſos non alibi, quàm in templo exorcizet, & tunc non coram multis, ſed pręſentibus probis, honeſtiſque hominibus, præſertim Eccleſiaſticis.

6 Quòd ſi fœmina erit exorciſmis iuuanda, congruit, vt coram Parentibus, & Cognatis, id muneris exerceatur: ac manus ſupra illam non indecorè, ſed maxima cum honeſtate admoueantur; ne tanti officij dignitas minuatur, & maleuolentiſſimæ quorundam obtrectationes vitentur.

De Feſtorum dierum Cultu. Cap. VII.

1 Dierum Feſtorum deuotam, ac religioſam celebrationem diſertè nos ſacrę Paginæ docuerunt: præcepit enim Deus, *Memento vt diem Sabbati ſanctifices*, & alibi: *Videte vt Sabbatum meum cuſtodiatis, quia ſignum eſt inter me, & vos in generationibus veſtris*. Hæc autem Sabbati, ſcilicet Feſti diei, ſanctificatio, & cuſtodia in eo potiſsimùm ſita eſt, vt vacui ſeruilibus operibus, Deo, & Sanctis eius, per debitas laudes, vacemus. Quod ipſemet Deus Exod. 20. ver. 8. & 31. verſ. 13.

Leuit. 13. verſ.8. apertè teſtatur, dicens, *Omne opus ſeruile non facietis in eo,* (Sabbatum intellige) *ſed offeretis Sacrificium, &c.*

2 At vana Seculi cura adeo nos faſcinauit, vt cum maximè cæleſtium benedictionum penſum Deo ſoluere debemus, tunc terrenarum potiſsimùm rerum actibus turpiter implicemur. diebus enim feſtiuis modeſtam dare operam rebus ad vitam neceſſarijs, ſicut nullo pacto vitioſum eſt, ita culpa valde execranda non vacat, vt ijſdem Feſtis Diœceſani ferè omnes in res cunctas mechanicas, & ſeruilia opera omni induſtria incumbant; quemadmodum in vniuerſa hac Diœceſi, ſine vllo dierum diſcrimine, at non ſine acerbiſsimo animi noſtri mœrore, perperam, & nimis licenter agi compertum eſt. Quare vt deteſtabili iſta diuini cultus corruptela nemo in poſterùm deprauetur, ſubiectas leges dare decreuimus.

3 Certa præcipuè res eſt præceptum venerationis Feſtorum vim habere à media nocte diem Sacrum antecedente ad mediam item noctem, quæ eundem diem ſequitur. Quod attentè prænotent Confeſſarij, & prauum alium vſum abolere ſtudeant.

4 Deinde nulli dubium eſt non licere die feſto arare, fodere, neque alio modo terram excolere. Vetitum quoque eſt plauſtro, clitellarijs Animalibus, aut alio modo trabes, lapides, ligna, molas, frumentum, farinam, cæteraſque id genus Annonæ ſpecies, atque onera aduehere.

5 Equum præterea, Mulum, & his ſimilia bruta Animantia ſoleis induere prohibitum eſt.

6 Ita quoque ſuere, tondere, piſcari, metere, conterere ſegetes, eaſque aduehere, vindemiare, vuas calcare, muſtum deuehere, oliuas colligere, & alia id genus ſeruilia opera exercere.

7 Molitores à menſe Aprilis ad Septembrem incluſiuè, niſi poſt decimam ſextam horam; & à Septembri ad Martium itidem incluſiuè, niſi decima octaua hora elapſa, frumenta, præterito duntaxat die in Piſtrinum aducta, vel quantum egenus aliquis baiulare poteſt, ad neceſſariam ſui, ſuæq. familiæ ſuſtentationem, molere poſſunt: exceptis

tamen

tamen die Natali Domini, Circumciſione, Epiphania, Paſchate Reſurrectionis, Aſcenſione, Pentecoſte, Dominica Trinitatis, feſto Corporis Chriſti; Natiuitate, Annunciatione, Purificatione, & Aſſumptione B. Virginis; Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ, feſto SS. Petri, & Pauli, feſto omnium Sanctorum, & celebritate Sancti Titularis cuiuſlibet loci; quibus ſolemnitatibus neutiquam molere præſumant; ſub pœna decem ducatorum contra Molitores qualibet vice, & amiſſionis frumenti, vel farinę aduerſus alios tranſgreſſores.

8 Lanij pecudes concidant die, qui Feſtum præit, & venales carnes nullo pacto exponant, niſi Miſſa Conuentuali, cæteriſque diuinis officijs ritè abſolutis; ſub pœna quinque librarum Ceræ albæ laboratæ: quam pœnam incurrant cæteri, qui Feſtorum dierum cultum violabunt.

9 Declaramus autem Feſtorum celebrationem non polluere inopes, qui, poſt meridiem, Fructus, Herbas, Ligna, Aquam, cæteraque ad victum neceſſaria, ſibi baiulant; ſi enarratas iam ſolemnitates excipias.

10 Offendunt tamen feſtiuorum dierum obſeruantiam hi, qui vendere, & emere præſumunt res ad humanum victum, vel ſalutem non neceſſarias: & qui neceſſarias emunt, vel vendunt alia norma, quàm à Sacra Congregatione pręſcripta; tabernæ ſcilicet Ianua ſemiclauſa, ſolaque eius feneſtella, vel oſtiolo recluſo; ac Miſſa, cæteriſque diuinis officijs celebratis.

Sac. Congreg Epiſc. ad Vicariũ Andriæ 16. Aug. 1593. & ad Epiſcopum Monopolit. 15. Feb. 1595.

11 Sicut etiam macula afficiunt ſanctorum feſtiuitates cuncti Tabelliones, Actorum Magiſtri, Cancellarij, alijque Scribæ, qui Actus quoſlibet iudiciarios, vel Curiales, contractus, aliaſque ſcripturas publicas conficiunt in caſibus à Sac. Canonibus non permiſsis. Quæ omnia nedum prohibemus ſub pœna nullitatis ipſo facto; ſed etiam ad mulctam vigintiquinque librarum Ceræ albæ laboratæ.

12 Executiones pariter reales, ac perſonales pro actione ciuili: Gabellarum, Collectarum, Fiſcalium ſolutionum, Talearum, & impoſitionum omnium vniuerſalium Exactio, nullatenus fiat; ſub eadem pœna, ſine ſpeciali noſtra licentia: quùm exploratum habuerimus homines hiſce mole-

ſtijs ita vexari, atque exterreri, vt penitùs ſe ſe abdant, & præcepto audiendæ Miſſæ minimè ſatisfaciant.

Sac.Congreg. Epiſc.ad Epiſcopũ Alben. 10. Auguſti 1591.

13 Nundinæ verò, quæ ſtatis Sanctorum celebritatibus iam olim inſtitutæ ſunt, licitè retineri poterunt; dummodo nemo nundinetur ante ſolemnem Miſſam celebratam; nec alicuius Sancti Eccleſia, aut atrium, mercimonijs, vel profanis alijs negotijs deturpetur.

14 Tempore item Baccanaliorum, & multo minus alio anni tempore, quando Baccanalia prorſus reijciuntur, nemo audeat Feſtis diebus, feria ſexta, & Sabbato, per quemlibet noſtræ Diœceſis locum laruatus, aut perſonatus incedere, ſub Excommunicationis pœna. Qua obſtringantur etiam mulieres, quæ laruatæ; vel virili habitu perſonatæ Baccanalijs, aut alio tempore, è domibus digrediuntur.

15 Eiſdem Feſtis diebus de præcepto; vniuerſo Quadrageſimæ, Aduentus Domini, & Vigiliarum omnium tempore, nemo ludis vtatur, nec publicè, nec priuatim: neque ludentes aſpiciat; vel eis domum, aut pecuniam, ſiue aliud ludo opportunum, commodare audeat. Pantomimorum quoque omnium, ac Circulatorum ineptias à Sacris Feſtiuitatibus longiſsimè arcemus.

16 Ludi, Choreæ, Paganalia, ſiue aliud quidpiam ridiculum, ac ludicrum ſpectaculum, quo in eorum nuptijs, & alijs tripudijs Diœceſani ad numeros geſtire, immo laſciuire ſolent, nec domi, nec alibi, eiſdem Feſtiuis diebus, agatur; aliàs Excommunicationi ſubiacebunt.

17 Profanas pariter Repræſentationes, quas Farzas vocant, ne die Feſto peragantur, ſub eadem Anathematis ſententia damnamus.

18 Porro Tragœdias, Comœdias, ſeu quaſlibet alias Repræſentationes, graues etiam, ac ſacras, nec feſtis, nec profeſtis diebus aliquis agere præſumat; niſi prius illis recognitis, & approbatis à noſtra Curia Epiſcopali, & cum bona eius venia; in locis tamen ſemper non Sacris; ſub eadem pœna.

19 Quoniam verò abſque legitimo impedimento nullus eximitur ab onere auſcultandę Miſſę Feſtis de pręcepto ſtatutis,

ſtatutis, prauam omnino conſuetudinem eſſe dignoſcimus, vt Virgines, quas Mulieres in capillis appellant, vel Viduæ, præceptis feſtiuitatibus, Sacroſancto Miſſæ Sacrificio non interſint; quùm hæ alioquin eiſdem ſacris diebus publicè diuagentur; & negotijs Secularibus incumbentes aſsiduò circumcurſare per domos ab omnibus conſpiciantur. Caueant idcirco illæ ab huiuſmodi corruptela; ſub pœna viginti librarum Ceræ albæ laboratæ.

20 Tres denique in vniuerſum ſunt cauſæ, ob quas Sac. Canones feſtis diebus aliquod ſeruile opus agi poſſe permittunt, vt Sacra Congregatio 12. Martij 1601. declarauit, videlicet

Cum Pietas ſuadet
Cum Neceſſitas vrget
Cum Publica vtilitas exigit.

21. Caſus Pietatis erunt hi, videlicet

Labores aliquos tenues, & abſque mercede impendere, vt egentibus monaſterijs opitulemur.

Lapides, Ligna, Calcem, cæteraque ruta & cæſa aduehere, pro Aedificijs inopum Eccleſiarum.

Modeſtè itidem laborare ad aliud alicuius Eccleſiæ opus explendum, ad quod exigitur labor multorum, qui non facilè alijs diebus inueniuntur.

22 Caſus neceſſitatis cenſentur, videlicet

Opus quodlibet Medicamentariorum, Piſtorum, & Laniorum; ad vſum tamen, & commodum ægrotantium, & eorum, qui iter faciunt.

Venalium omnium, quæ ad humanum victum pertinent, negotia.

Sectio Venæ, aliudue Tonſorum medicamen.

Vehiculis, ac Veterinis onera imponere; dummodo iter non ſit diei, ſed longius diſtet, eaque ad iter proſequendum agantur.

Equis, & Mulis eorum, qui iter habent ſolummodo, & non aliorum, ſoleas induere.

Pergere Opus Fornacis Calcariæ iampridem inceptum.

Opera, quæ continuum laborem exigunt, vt pauimentum nuper ſtratum percutere.

Herbas pro Bobus, & alijs Animantibus, quæ fronde veſcuntur, ſecare, ac domum aſportare.

Mori nigrę, vel albę frondes pro Bombicibus decerpere.

Piſcari tantummodo, dum Thynni, Haleces, Sardæ certis diebus progrediuntur; & tunc ſoluta noſtræ Cathedrali perantiquæ Decimę Eleemoſyna.

23 Caſus publicę vtilitatis dantur, videlicet

Tempore Meſſis frumentum ex Spicis terere, in Area ventilare; Fœnum, Paleas, & his ſimilia iam ſecata, colligere, ſi periculum corrumpendi ſeriò timeatur.

Vindemiare, ſi re vera prudentes vereantur, ne dilatio obſit.

Caſtaneas, Glandes, atque alios id genus fructus colligere, ſi re vera neceſſitas adſit.

Triticum molere ad panem conficiendum, publicę neceſſitatis ſubleuandę gratia, & non aliter.

Quando ob repentinos caſus, vt ob alluuionem fluminum, lacunas auertere, foſſas congeſtis lapidibus, terraque opplere, aggerem conſtruere; Piſtrini aquęductum, Canaleſquè aptare; Rudentes à fluminibus auferre, Pontes reparare, atque aliud non diſsimile, vrgens, & publicum opus edere neceſſe eſt.

24 In his etiam caſibus à Iure permiſsis petenda quoque licentia eſt, ſaltem ab noſtris Vicarijs foraneis, & non aliter vſurpanda. Illa verò oretenus, & non ſcripto concedi debet, & gratis; ac non niſi Miſſa, Officijſque diuinis perſolutis, & ſolemnitates ſupra enarratas ſemper eximes.

Decr. 8.

25 Verùm Vicarij Foranei, ad quos eiuſmodi Ius ſpectare, eiſque abſentibus, ad Parochos, Sac. Congregatio Epiſc. reſcripſit, ad id valde attendant, vt in feſtorum diſpenſatione non nimis licenter, aut leuiter, vel alicuius rogatu, ſeu turpis lucri gratia, indulgeant; ſub pœna peccati mortalis, cuius abſolutionem Nobis reſeruamus.

Ad Archiepiſcopũ Materan. 18. Nouemb. 1592.

26 Pœnam inſuper viginti quinque aureorum, & aliam

aliam arbitrio, à ſuperioribus Synodis, contra Vicarios foraneos negligentes cultum feſtorum irrogatam, renouandam eſſe duximus. Oſcitantes verò hi toties habeantur, quoties nedum clericos ad feſtorum obſeruationem explorandam varia in loca non ablegabunt, ſed ipſimet etiam vbique, ad idem indagandum, minimè diſcurrent.

27 Si Foraneis ipſis, vel clericis ab eis miſsis ad feſtorum dierum venerationem inquirendam, impedimentum aliquod, vel repugnantia alicuius obſiſtat, ne diligentiam omnem adhibere valeant, vel circa pignora, & liberam eorum Executionem, aut circa ipſiuſmet criminis inquiſitionem, ſtatim Vicarij foranei teſtes examinent, eorumque depoſitionem ad nos mittant, vt in Iudicium coram Nobis ſeriò vocentur Tranſgreſſores.

28 Vt autem omnibus apertiſsima ſit feſtorum de precepto certa obſeruatio, ſequens Calendarium adiecimus.

IANVARIVS.
1. Circumciſio Domini.
6. Epiphania.

FEBRVARIVS.
2. Purificatio Beatæ Virginis.
24. S. Matthias Apoſtolus.

MARTIVS.
7. S. Thomas de Aquino.
19. S. Ioſeph.
25. Annunciatio B. Virginis.

APRILIS.
2. S. Franciſcus de Paula.
25. S. Marcus Euangeliſta.

MAIVS.
1. SS. Philippus & Iacobus Apoſtoli.
3. Inuentio S. Crucis.

IVNIVS.
24. Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ.
29. SS. Petrus & Paulus Apoſtoli.

IVLIVS.
22. S. Maria Magdalena, vbi adeſt conſuetudo.
25. S. Iacobus Apoſtolus.
26. S. Anna mater B. Virg.

AVGVSTVS.
10. S. Laurentius martyr.
15. Aſſumptio B. Virginis.
25. S. Bartholomęus Apoſt.

SEPTEMBER.
8. Natiuitas B. Virginis.
21. S. Matthęus Apoſtolus.
29. Dedicatio S. Michaelis Archangeli.

OCTOBER.
4. S. Franciſcus Confeſſ.
18. S. Lucas Euangeliſta.
28. SS. Simon & Iudas Apoſtoli.

NOVEMBER.
1. Feſtum omnium Sanctorum.
11. S. Martinus Epiſcopus & Confeſſor.
30. S. Andreas Apoſtolus.

DECEMBER.
8. Conceptio B. Virginis.
21. S. Thomas Apoſtolus.
25. Natiuitas Domini Noſtri Ieſu Chriſti.
26. S. Stephanus Protomartyr.
27. S. Ioannes Euangeliſta.
31. S. Silueſter Papa.

Dominica Trinitatis, & cæteræ Dominicę per annum.
Paſcha Reſurrectionis cum duobus diebus ſequentibus.
Aſcenſio Domini.
Pentecoſtes cum duobus diebus ſequentibus.
Feſtum Sanctiſsimi Corporis Chriſti.

29 Cæteri dies feſti per annum liberè Chriſtifidelium deuotioni committuntur. Sanctos verò Titulares cuiuſuis Parochię, & Oppidi noſtrę Diœceſis, ſpeciali cultu omnes proſequantur.

30 Omnibus tamen hactenus recenſitis ſolemnitatibus, alijſque ſacris diebus enumeratis in cap. finali de ferijs, forenſis ſtrepitus Curię noſtrę Epiſcopalis conticeſcet.

De Ieiunio & Quadrageſima. Cap. VIII.

1 INnumerę propemodum ſunt Ieiunij laudes, quibus illud SS. Patrum pręconia exornant; ſed vt rem paucis complectamur, Ambroſij nonnulla verba in medium afferemus, quę Encomium omne compingunt: *Caſtra*, inquit, *ſunt noſtra Ieiunia, ipſa nos muro circumcingunt inexpugnabili, atque ab Inimicis intranſgreſſibili*. Quamobrem ſi de vitijs omnibus glorioſum triumphum reuehere cupimus, ſtrenuiſsimę Ieiunij militię nomen demus, & ſummo etiam cum ſtudio certemus. Serm. 15.

2 Superuacaneum tamen eſſet hic ſingillatim enume-

rare

rare dies omnes Ieiuniorum: planè enim omnibus conſtat illos eſſe dies ſingulos Quadrageſimę, Dominicis exceptis; vigilias quaslibet, & quatuor anni tempora ab Eccleſia determinata.

3 Quod verò populorum bono hac in re expedire videtur, eſt diligens Parochorum Cura, tum in commendanda valde Ieiunij, & Quadrageſimalium ciborum obſeruatione, tum in aperienda huius pręcepti conditione, vt neminem fugiat, quęnam ciborum qualitas, quę vnica comeſtio, & meridiana eius hora, quę quantitas Ientaculorum requiratur: quę denique ętas, vel aduerſa valetudo, qui labor, & alia id genus, iuxta tutiorem Summiſtarum ſententiam, fideles à Ieiunij pręcepto eximant, vt nemo ex erronea conſcientia in culpam dilabatur.

4 Ijdem Curati qualibet Dominica Sexageſimę, ac Quinquageſimę, inter miſſarum ſolemnia, populo enuncient noſtrum Edictum de Quadrageſimę obſeruantia, ad quam continuò inuigilent.

5 Pręſertim ne Lanij, Caupones, aut alij, hiſce diebus carnes, ſeu cęteros cibos vetitos, publicè venales habeant, nec aliter diuendant, niſi eis, qui à Nobis, vel Generali noſtro Vicario expreſſam facultatem illis veſcendi in ſcriptis obtinuerint.

6 Quam licentiam edendi carnes à Medicis traditam fideliter obſeruent Parochi; nam interdum ſatis leuiter Medici aliorum gulæ indulgent, dum paruo negotio, & abſque vllo diſcrimine, fidem omnem, ac teſtimonium ſuum, pro tanti præcepti diſpenſatione, ſubſcribunt; & cum Parochi fidem hanc ſubſiſtere in Domino agnoſcent, teſtimonium, & nomen quoque ſuum, eandem ſubſcribendo, apponant.

7 Liceat etiam Curatis noſtrę Diœceſis, dum neceſſitas vrget, ſimilem licentiam, per tres ſolummodo dies, concedere. cęterùm maioris temporis facultas à nobis, vel Generali Vicario, habenda erit.

8 Meminerint præterea Medici Conſtitutionis ſanct. mem. Pij PP. V. an. 1566. quæ incipit, *Super gregem*; & cap.

cap. *Cura Infir. de pœnit. & remiſs.* Quapropter ſtatim ac accedunt ad eos, qui vehementi febre, vel alio periculoſo morbo laborant, monere illos grauiter debent, vt de peccatis confiteantur. verùm ſi, poſtquam trina vice eos viſerint, conſcientiam non expiaſſe inueniant, vlterius ad eos non accedant. Quòd ſi Medici legem hanc violent, vt ſæpiſſimè accidit, Vicarij foranei in eos inquirant, & Inquiſitionem probatę fidei teſtimonijs vallatam ad Nos mittant, vt Medici inflictas iàm pœnas luant; & eorum præterea grauiſſimæ culpæ Sacramentalem abſolutionem nobis reſeruamus.

De Sacrificio Miſſæ. Cap. IX.

1 AD diuinum Miſſæ ſacrificium ritè celebrandum, ac piè ſimul frequentandum, mirum in modum nos excitant, & incendunt grauiſſima B. Pauli verba: *Si enim ſanguis Hircorum, & Taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo; emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti, &c.* Si igitur animum vitiorum labe reſperſum diluere cupimus, tam diuino miniſterio addicti ſimus.

Hebr. 9. ver. 13.

2 Et præcipuè Parochos, ne populo ſint ſcandalo, ſed forma facti gregis ex animo, reuerenter Miſſæ Sacrificium frequentare oportet, vt cum rem tam ſacram facere non omittunt, exemplo etiam ſuo reliquos Sacerdotes ad ſæpenumerò celebrandum adducant.

3 Nullus autem Sacerdos ad Miſſæ Sacrificium accedat, antequam deuotè non recitauerit ſaltem Matutinum.

4 Nec Sacerdotes nuper ad Presbyteratum promoti, primam Miſſam canere, vel celebrare audeant, priuſquam rectè examinati fuerint ab eis, quibus nos curam hanc demandabimus; & approbati, poſtmodum celebran-

di li-

di licentiam à Nobis, vel generali Vicario ſcriptis obtinebunt, eamque gratis. Sed abhorreant hi à ludis, Choreis, Commeſſationibus, quæ iàm pridem, primæ eorum Miſſæ decantatæ cauſa, turpiter irrepſerunt.

5 Quoniam verò teſtimonio primę Synodi Diœceſanæ bon.mem. Epiſcopi Sanctonij accepimus, Sac. Congregationem Eminentiſſimorum Patrum Concilij Tridentini Interpretum approbaſſe antiquam nonnullarum Eccleſiarum huius Diœceſis conſuetudinem erogandi à celebrante honeſtam Eleemoſynam Sacriſtię Parochialium Eccleſiarum, ſtatim ac prima Epiſtola, primum Euangelium, ac prima Miſſa canitur ab illis, qui ad hos ordines ſunt promoti; cum laudabilem vſum poſthac etiam retinendum eſſe mandamus; ad pœnam dupli: hique vnius menſis beneficio fruantur ad ſoluendum.

6 Non dedecet etiam Sacerdotem primam Miſſam celebrantem; nec Tridentino repugnat, vt hic vertat ſe in medio Altaris ad populum, & accipiat oblationes, atque Eleemoſynas ab offerentibus; dummodo apud Altare conſiſtat, & inde non abſcedat deambulando per Eccleſiam, atque omnis auaritiæ ſuſpicio procul ſit: quemadmodum Sac. Congregatio reſcripſit ad ſanctiſsimum Carolum Borromæum, Epiſcoporum ſidus fulgentiſſimum.

Seſſ. 22. de obſeruan. & euitand. in celeb. Miſs.

7 Dedecet verò maximoperè Sacerdotes, quando ad Altare ſe conferunt, vel ab eo recedunt, caput aperire, vel aliquo modo ſe ſe verſus populum inclinare, vt Secularis alicuius perſonæ, cuiuſcunque gradus, conditionis, ac ſtatus illa ſit, dignitati fauere videatur; quemadmodum à nonnullis iam olim corrupto more vſitatum eſt; à quo ſe planè abſtineant in poſterùm, ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſarum.

8 Sicut prauum etiam vſum eſſe agnoſcimus, vt quidam Laici priuatæ conditionis, extra cæremoniam cum alijs communem in Miſſa, aut ad Veſperas, ſingulari quadam prærogatiua, ſingillatim thurificentur; vt in nonnullis noſtræ Diœceſis locis indecenter agi comperimus.

Caue-

Digitized by Google

9 Cauemus inſuper Miſſæ Eleemoſynam Caroleno minorem à nemine recipi debere, vt quidam vituperantes miniſterium noſtrum viliſſimè hactenus commiſerunt.

10 Euenit ſæpiſſimè nonnullos minus graues Sacerdotes, dum ad Sacrum faciendum intus Sacriſtiam ſe parant, inuicem rixari, quòd alter altero prior ad celebrandum exeat. quocirca, vt ſcandaloſa iſta contentio, ac Iurgium è medio tollatur, ſtatuimus pœnam Carceris per tres menſes contra eum, qui Sacerdoti prius ad Presbyteratum promoto, vel antea in Sacriſtiam ingreſſo, ad rem diuinam faciendam anteire præſumpſerit: vel ſi paratus ad Miſſam per Sacriſtiam deambulet, vel negotia peragat.

11 A celebrandis Miſſis in Eccleſijs, Oratorijs, Cappellis, vel domeſticis Sacellis Secularium, arcemus Regulares omnes; etiam eos, qui ordinarium domicilium intra hanc Diœceſim habent, niſi prius literas Dimiſſoriales noſtris Deputatis ad recognoſcendas exhibuerint, ac licentiam in ſcriptis redactam ſint conſecuti. Idque locum etiam habeat in alijs Sacerdotibus Secularibus alienæ Diœceſis; ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſſarum: quam pœnam incurrant quoque Vicarii foranei, qui deputantur à Nobis ad huiuſmodi Dimiſſorialium recognitionem, ſi abſque illarum diligenti inſpectione, alicui indulſerint ad celebrandum, vel facultatem dederint Miſſæ Sacrificium peragendi exteris, vltra dies octo; quibus elapſis Nos, vel generalis noſter Vicarius, conſulendi erimus, pro maioris temporis celebratione, oſtenſis eiſdem Dimiſſorialibus.

> Sac. Congreg. Epiſc. ad Epiſcopũ Sarzanen. 14. Maij 1585.

12 In præfatis omnibus Sacris locis, extra Parochias, Miſsæ Feſtis diebus de præcepto nullatenus celebrentur ante Miſsam Parochialem, vel poſt Miſsam in Aurora: neque dum Miſsa Conuentualis in Parochia abſoluta non erit, in alijs Altaribus, vel Cappellis eiuſdem Eccleſiæ alterum Miſsæ Sacrificium peragatur, ſub eadem pœna.

13 Is autem ordo perpetuò in Diœceſi ſeruetur, vt Sacer-

Sacerdos ad Altare è Sacriſtia nunquam ſe conferat, niſi alter celebrans Miſsam abſoluerit.

14 Quando in Eccleſijs ſacra fiunt, vel diuina officia pſalluntur, Clericus aliquis Cenſor, per turnum a Vicarijs foraneis eligendus, diligentiſſimè obſeruet, atque in Schedulam referat quoslibet colloquentes, confabulantes, ſuſurrantes, circumcurſantes, tumultum excitantes, aut quoquomodo ſacras functiones perturbantes: quam ſchedulam idem Cenſor Vicario foraneo præbeat, vt ad Nos mittatur, & tranſgreſſores pœnas dent iam impoſitas in Conſtitutione fel. rec. Pij PP. V. ſub Datum Romæ cal. Aprilis 1566. quæ incipit, *Cum primùm*, quamque exſcribendam eſſe duximus à §. *Vt igitur*, tenoris ſequentis, videlicet

15 *Vt igitur Deo Optimo Maximo, glorioſæ Virgini, & Sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorij X. Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem Innouantes, & ſtatuta in Tridentino Concilio obſeruari volentes, ſtatuimus, & ordinamus, vt ad Eccleſias humilis ſit, & deuotus ingreſſus, quieta conuerſatio, deuotis orationibus inſiſtant, & omnes genibus flexis ſanctiſſimum Sacramentum adorent, ad nomen Ieſu Chriſti Domini noſtri, cum exhibitione reuerentiæ, caput inclinent, nullus in dictis Eccleſijs ſeditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat, impetumque committat, ceſſent vana, fœda, & profana colloquia, riſus immoderati, & ſtrepitus omnes Iudiciorum, & quæcunque alia, quæ diuinum officium perturbare poſſint: nullus intra Eccleſiam deambulare audeat, ſiue præſumat, dum celebrantur Sacra Miſſarum myſteria, & alia diuina officia. Qui verò prædicta petulanti animo contempſerint, præter diuinæ vltionis acrimoniam, noſtri quoque arbitrij pœnas incurrent: quæ omnia locorum quoque Ordinarij in ſuis Eccleſijs faciant obſeruari. Quicunque verò in Eccleſijs, dum ibi ſacrificium Miſſæ, & diuina officia peraguntur, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verſo tergo ad ſanctiſſimum Sacramentum irreuerenter ſedere, aut aliquid, quod ſcandalum generet, aut diuina officia perturbet, facere præſumpſerit, pœnam viginti quinque ducatorum incurrat, præter alias arbitrio noſtro*

imponen-

imponendas, & moderandas pœnas; & qui non habet in Aere, luat in Corpore, aut exilio mulctabitur. Qui verò in Eccleſijs cum Mulieribus impudicis, ſiue etiam honeſtis colloquium ſcurrile habuerit, aut alios inhoneſtos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum pœnam incurrat, & Carceris per menſem. Qui in Eccleſijs, vt ſupra, obſcœnis, & inhoneſtis verbis, aut ſignis vſus fuerit, aut alia fœda colloquia cum perſonis quibuſcumque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut aliàs corporaliter puniatur. Mandamus præterea omnibus, & ſingulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum Capitulis, Rectoribus, Vicarijs, Sacriſtis, Oſtiarijs, & alijs ipſarum cuſtodibus, quatenus prædictos omnes in Eccleſijs Delinquentes admoneant, & in eis vetita fieri non permittant, vel ſaltem ipſis Ordinarijs, vel Officialibus noſtris puniendos deferant; quod ſi facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrant, &c.

16 Miſsæ ex obligatione certo aliquo die, vel hebdomada celebrandæ, in aliud tempus non reijciantur; nec extra Altare, ad quod huiuſmodi onus adeſt; neque ab alijs, quàm à proprijs Cappellanis, ſiue Rectoribus, abſque legitimo impedimento, celebrentur; aliàs ſuo oneri minimè ſatisfeciſse exiſtimentur. & Miſsæ omnes quæ in dies celebrantur, adnotari debent à quouis celebrante in libro Sacriſtiæ, annuatim conficiendo, qui per Bimeſtre ad Nos mittatur à Curatis, & Sacriſtis; ſub pœna decem aureorum.

17 In Eccleſijs, vbi quotidie ſex ad minus Miſsæ non erunt, vna poſt aliam, pro debito temporis interuallo, ac populi commodo, poſt abſolutam Miſſam Conuentualem, celebretur: vbi verò plura, quàm ſex ſacra fiunt; illorum ſex, vt modò dictum eſt, gradatim abſolutis, cætera ſimul peragi ita permittimus, vt in Altaribus longè inter ſe ſe diſſitis nemo ab altero impediatur. ac Feſtis diebus Miſſa vna tardius celebretur, vt maiori commodo populus eſse poſsit.

18 Omnes Miſſæ Defunctorum, Votiuæ, pro Sponſis, vel pro Solemnitatibus cuiuſque Eccleſiæ, Cappellæ, Oratorij, ſiue Altaris, celebrentur per turnum à Sacerdotibus

Cleri

Cleri illius loci, vbi Miſſæ Sacrificium peragendum erit; & non à certis tantummodo Presbyteris auaritiæ valde ſtudioſis; vt non turpis quæſtus, ſed communis lucri ratio, & vnitatis, ac pacis vinculum inter omnes ſeruetur; nec vllus querimoniæ locus egenis Sacerdotibus relinquatur.

19 Notare diligenter debent Parochi, & Vicarij foranei Clericos, qui Sacerdoti celebraturo inſeruire detrectant; quique tam diuino Sacrificio aliter, quàm Superpelliceis mundiſsimis induti, parùm religioſè miniſtrare audent, vt in carcerem, per menſem ſaltem, detrudantur.

20 Obſeruent accuratè Parochi eos, qui ſtatis diebus, Miſſæ præcepto, vt plurimùm, ſatisfacere negligunt, nam ab Eccleſiæ ingreſſu propelli debent.

21 Diſtributio Candelarum in vniuerſa Diœceſi, quæ feſto die Purificationis B. Virginis, intus Parochiales Eccleſias, fieri conſueuit, ad euitandum tumultum, & irreuerentiam eorum, qui turmatim vociferantes ingruunt, atque irruunt in diſtribuentes, deinceps nullo modo ante Miſſam, niſi pro Clero, & ad ſacras Cæremonias, earumque debitum cultum conſeruandum, decenti ritu, ac ſolita proceſſione expleatur. Cæterùm Candelæ iàm benedictæ diſtribuantur à Parochis, detecto capite, abſoluta Miſſa, ante fores Templi, dum populus gradatim egreditur; atque in illis religioſè diſtribuendis paternè moneant omnes, vt eis ad Incantationes, Veneficia, Sortilegia, aliaſque aniles vanitates, atque deliramenta, minimè abutantur; nam aduerſus tales ſupra inflicta eſt Epiſcopalis Excommunicationis pœna. Cap. 5. dec. 3.

22 Sordidus valde eſt mos ille, qui apud nonnullos Diœceſis Cleros inoleuit, circa Paſchalem Cereum. Qua de cauſa iubemus quolibet Sabbato Sancto nouum Cereum benedici, qui non ſit minor libra; iſque re vera accendatur, non autem fruſtum Candelæ eidem impoſitum.

23 Ad eleuationem Hoſtiæ in Miſſa Conuentuali, ſingulis diebus, dentur aliquot Campanæ ſigna; quemadmodum ad eleuationem Calicis, à Sacriſta, vel Hebdomadario,

Digitized by Google

rio; ſub pœna vnius aurei pro qualibet tranſgreſſione.

24 Feria quinta in Cœna Domini vnam ſolummodo Miſſam, in qua Sacerdotes, atque alij Clerici communicent, celebrandam eſse Sacra Rituum Congregatio decreuit.

27. Nouembris 1608.

25 Sacerdos, qui in locis noſtræ Diœceſis alicui Laicorum Congregationi præficitur, immunis tantùm à choro ſit ad Matutinum; quùm tam ipſe, quàm eiuſdem Congregationis Sodales, peractis omnibus inſtitutæ deuotionis operibus, ad Miſsam Conuentualem Matricis Eccleſiæ conuenire debeant, vt Paſtoris monita ſalutis, & conſuetas Feſtorum dierum, Ieiuniorum de præcepto, matrimoniorum, aliorumue id genus enunciationes percipiant.

26 Abſtineant pro viribus Sacerdotes ab vſu Vini rubri in Sacroſancto Miſsæ Sacrificio, eoque ſolùm neceſsitate compulſi coutantur; vt ea, quæ par eſt, munditia in Purificatorijs niteſcat.

27 Atque, vt nitidiſsimo ſemper cultu res tam diuina tractetur, nullus Sacerdotum ſoccatus ad Altare accedat, vel ſine veſte talari, ac præcincta. Quod decenter ſeruandum quoque eſt ab omnibus, dum horis Canonicis, publicis ſupplicationibus, cæteriſque Eccleſiaſticis functionibus interſunt.

28 Vt Ruſticorum bono, Viduarum verecundiæ, Pauperrimorum nobilium decenti veſte carentium decori, & eorum, qui iàm iàm iter ſunt facturi, commodo proſpiciamus; & Dei offenſa, animarumque pernicies vitetur, quæ in non auſcultanda Miſsa ſæpius contingere conſueuit; iubemus ſingulis diebus, etiam feſtiuis, intus quaſlibet, ac ſolas matrices Eccleſias noſtræ Diœceſis, Miſsam vnam in Aurora celebrari; poſt quam nulla alibi Sacra fiant, vſque ad Miſsam Conuentualem; ſub pœna ſuſpenſionis à celebratione Miſsæ.

29 In quotidiana hac Miſsa ad Auroram, ſicut in qualibet Miſsa Parochiali Feſtorum dierum, Parochus, vel Sacerdos ipſe, qui celebrat, ante Offertorium vertens ſe ad po-

ad populum, alta, ac diſtincta voce proferat Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, Decem præcepta Decalogi, & quinque præcepta Eccleſiæ; vt ab omnibus rudibus, qui alternatim repetere eadem Sacerdotis proferentis verba debent, ea facile addiſci poſſint, ac memoria retineri.

30 Enuncientur quoque populo à Curatis, vel ab eodem celebrante ad Auroram, cætera, quæ in Conuentuali Miſſa eulgari conſueuerunt: nimirum feſti dies per hebdomadam; Ieiunia, quæ incidunt in eandem; matrimonia contrahenda; Edicta noſtra promulganda; Excommunicationum monitiones, ac reliqua his ſimilia, vt huic Miſſæ intereſſentes debitis etiam monitis non fraudentur. Sac.Congreg. Epiſc.ad Epiſcopũ Veſtanum 18. Feb. 1592. Cap.15. dec. 25.

31 Intelligant tamen Sacerdotes Miſſam in Aurora, ante Solis ortum incipiendam eſſe: Hora autem Miſſæ Conuentualis inchoandæ, pro temporum varietate, infra ſtatuenda erit, cum de horis Canonicis peragemus.

32 Quoniam verò à Sac. Congregatione Eminentiſſimorum Patrum Concilij Tridentini Interpretum, atque ab altera Sacrorum Rituum, complura Decreta edita ſunt, ad rectam Miſsarum, ac diuinorum officiorum celebrationem, illa ſubnectenda eſſe volumus.

33 DECRETA

A Sac. Rituum Congregatione in ordine ad Miſſam, & diuinum Officium, poſt Miſſalis, ac Breuiarij Romani recognitionem, condita.

Ex Commentarijs in Rubricas eiuſdem Miſſalis, ac Breuiarij ab Adm. R. P. D. Bartholomæo Gauanto Cler. Reg. S. Pauli, eiuſdemque Sac. Congregationis Conſultore editis.

1 *Poteſt celebrari Miſſa pro Defunctis ritu de requiem in Dominicis, & Feſtis; inſepulto, & in Eccleſia præſente corpore: Sic decreuit Sac. Rituum Congreg. die 23. Maij 1623. vbi nimirum viget conſuetudo ſepelliendi Defunctos ſimul cum Miſſa. Si quis autem moriatur in die Paſchæ, corpus eius re-*

C *ſeruetur*

ſeruetur in ſequentem diem, ob reuerentiam Paſchæ, ex Rituali Romano Pauli V.

2 *Si terminatur proceſſio Litaniarum maiorum ad Eccleſiam S. Marci, cantatur ibi Miſſa de S. Marco. Eadem Sac. Congregatio. die* 23. *Maij* 1623.

3 *Cineres, qui imponuntur capitibus fidelium, debent eſſe aridi, non in modum luti ſunt diſtribuendi.* 23. *Maij* 1603.

4 *In Canone nomine Antiſtitis non ſunt nominandi Superiores Regularium. die* 12. *Nou.* 1605. *nec Inferiores Epiſcopo.*

5 *Miſſa de Annunciatione B. Virginis non eſt celebranda à feria quinta maioris hebdomadæ vſque ad feriam tertiam Paſchæ incluſiuè. die* 9. *Maij* 1606.

6 *Gloria in excelſis cum Credo omittitur in Votiuis pro re graui, quando dicuntur cum paramentis violaceis. die* 19. *Maij* 1607. *Res autem grauis ea eſt, pro qua conuenit totus Clerus cum Epiſcopo, vt eadem Sac. Rituum Cong. decreuit. eadem die.*

7 *Cereus Paſchalis regulariter accendi debet ad Miſſas, & Veſperas ſolemnes in triduo Paſchatis, in Sabbato in Albis, & Dominicis vſque ad Aſcenſionem; in alijs ſeruanda eſt conſuetudo locorum. die* 19. *Maij* 1607.

8 *Tolerari poſſunt Miſſæ de Requiem in Feſto duplici, quod non eſt de præcepto, pro voluntate Teſtatorum implenda. die* 1. *Septembris* 1607. *non ait ad arbitrium viuorum, quod bene nota, ſed pro adimplenda lege Defunctorum.*

9 *In Altari priuati Oratorij, cui conceditur ex priuilegio Apoſtolico celebratio Miſſæ, (exceptis ſolemnioribus Feſtis) non poteſt in eo celebrari in Natali Domini, Epiphania, Paſchate, Pentecoſte, Annunciatione, Aſſumptione B. Virginis, Feſto Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum. die* 17. *Nouembris* 1607.

10 *Communio Cleri facienda eſt in Cœna Domini. die* 27. *Nouembris* 1608.

11 *Miſſæ Defunctorum certo die dicendæ, eo impedito, transferuntur in ſequentem. die* 27. *Septembris* 1608.

12 *Sabbato Sancto non ſunt pulſandæ campanæ ante Cathedralis, ſeu Matricis ſignum. die* 21. *Martij* 1609.

Abba-

Digitized by Google

13 *Abbates, & alij Superiores Regularium non poſſunt benedicere paramenta Eccleſiarum non ſibi ſubditarum. die 14. Auguſti 1609. Neque Prothonotarij. die 17. Iulij 1627. neque valet conſuetudo Abbatum, abrogata. die 18. Auguſti 1629.*

14 *Tenentur Canonici ad cantandam Miſſam de die, vt lucrentur diſtributiones. die 21. Iunij 1611. & 28. Ianuarij 1612.*

15 *Neque ob Miſſam Votiuam, ſeu pro Defunctis, poteſt omitti Miſſa Conuentualis de die. 16. Ianuarij 1627. Abrogauit Congregatio omnem contrarium conſuetudinem. 12. Iulij 1628.*

16 *Diaconus non debet dare pacem Laicis, neque Domino loci. die 15. Iulij 1614.*

17 *Regulares debent Crucem ferre in Proceſſionibus cum velo, ſeu Panno. 14. Ianuarij 1617.*

18 *Non deferatur Tabernaculum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacerdotum humeris, ſed manibus tantùm celebrantis, non obſtante quauis contraria conſuetudine, quam abuſum eſſe declarauit Sac. Rituum Congreg. 2. Iunij 1618.*

19 *In oratione,* A cunctis, *nomina Patronorum S. Michaelis, vel S. Ioannis Baptiſtæ præponi debent Apoſtolis. die 22. Auguſti 1620.*

20 *In Paraſceue, ſi incidat feſtum Annunciationis B. Virginis, non tenentur fideles ad Miſſam audiendam. die 19. Februarij 1622. Nec in eadem die diſtribuenda eſt Euchariſtia alijs, quàm Infirmis. Eadem Sac. Congregatio ead. die.*

21 *Miſſa Roſarij probibita fuit, conceſſa tantùm Dominicanis. 25. Iunij 1622. vbi verò adeſt Cappella, ſeu Altare Roſarij, in feſto Sacratiſſimi Roſarij, ex Decreto Gregorij XIII. in prima Dominica Octobris, in Calend. vel poſt Calend. eiuſdem Octobris celebrando, Officium, & Miſſa celebrari poſſunt, vt in feſto S. Mariæ ad Niues, quod obſeruatur in Aede Lauretana, vel vt in Natiuitate B. Virginis, mutato nomine in Feſtiuitatis, quod fit Bononiæ, ſed illud prius magis placet, cum Lect. ij. Noct. de Natiuitate.*

22 *Miſſæ certis Regularibus conceſſæ, non poſſunt ab alijs dici, etiam in ipſorum Regularium Eccleſijs. 19. Nouemb. 1622.*

C 2 *Vſus*

23 *Vſus Annuli in Miſſa prohibetur Protbonotarijs non participantibus, & quibuſcunque alijs Doctoribus. die* 11. *Februarij* 1623. *Item & Canonicis Cathedralium fuit prohibitus. die* 20. *Nouembris* 1628.

24 *Vicario Generali celebrante, licet Prothonotarius, non debent accendi quatuor Candelæ, neque duo Cappellani miniſtrare.* 7. *Auguſti* 1627.

25 *Neque debent poni paramenta in Altari, niſi pro Epiſcopis.* 7. *Iulij* 1612.

26 *Qui habet onus celebrandi Miſſam de Roſario (exceptis Dominicanis) poſſunt aliam dicere de B. Virgine. die* 6. *Maij* 1623.

27 *In feſto Stigmatum S. Franciſci, color Albus adhibetur. die* 6. *Decembris* 1623.

28 *Vſus Pileoli in Miſsa, etiam extra Canonem, concedi debet à Papa, & non ab alio. Congregatio Cardinalium ſuper negotia Epiſcoporum.* 2. *Ianuarij* 1590. & 17. *Ianuarij* 1595. *Conceſſit (extra Canonem) vſum Pileoli Epiſcopo Fauentino; & reſpondit Archiepiſcopo Vrbinati, eo non poſſe vti, ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Idem poſtea ſenſit Sac. Rituum Congreg. die* 31. *Ianuarij* 1626. *& Canon ipſe prohibet Epiſcopo velatum caput, ergo neque ſecum, neque cum alijs diſpenſare poteſt.*

29 *Celebrans, qui diſtribuit Cineres, Candelas, & Palmas, detecto capite diſtribuat. die* 18. *Iulij* 1626.

30 *In Miſſa feria* 4. *temporum occurrenti in die octaua Natiuitatis B. Virginis, Præfatio ferialis dicitur. die* 12. *Decembris* 1626.

31 *Signum quod fit cum Patena à fronte ad pectus, fit integrè cum ſigno Crucis* 13. *Martij* 1627.

32 *In Altari certis diebus priuilegiato non poteſt in ijs dici Miſsa de Requiem in Feſto duplici de præcepto.* 24. *Apr.* 1628.

33 *Communicantes, infra Octauam Aſcenſionis, contingit ſeparari à propria Præfatione.* 28. *Auguſti* 1627. *Caſus autem talis eſſe poteſt, ſi occurrat feſtum SS. Philippi, & Iacobi Apoſt. infra Octauam Aſcenſionis, nam Præfatio erit de Apoſtolis, Communicantes de Aſcenſione, licet in Miſsa nulla fiat commemoratio,*

tio, idque accidere poteſt etiam in Inuentione S. Crucis, & in Miſſis ſolemnibus Votiuis, quæ dicuntur infra eandem Octauam, & habent Præfationem propriam.

34 *In Feſtis primæ Claſſis non dicitur Oratio*, Deus refugium, *iuſſa dici à maioribus per annum. die 28. Auguſti 1627. Accidit enim à Superiore decerni pro publica cauſa quotidie dicendam Orationem*, Deus refugium, *ſeu aliam, & tunc dicitur vel loco tertiæ ad libitum, vel additur vti commemoratio.*

35 *In fine Miſſæ ad quodcunque Altare celebratæ, fit reuerentia Cruci infra gradus, capite ſemper aperto. die 28. Auguſti 1627. Rubrica enim generali in Miſſali recognito p.2. tit.12. num.6. Sic eſt corrigenda: quibus omnibus abſolutis extinguntur per Miniſtrum Candelæ; interim Sacerdos accipit ſiniſtra Calicem, dexteram ponens ſuper Burſam, ne aliquid cadat, deſcendit ante infimum gradum Altaris, & ibi in medio vertens ſe ad illud, caput inclinat, vel, ſi in eo eſt Tabernaculum ſanctiſſimi Sacramenti, genuflectit, & facta reuerentia, accipit Biretum à Miniſtro, caput cooperit, &c. Hæc Rubrica habetur in recognito Miſſali, licet fuerit tantùm edita in vltimo Miſſali Vaticano anno 1609. quam ideo retinendam eſſe omnino decreuit Sac. Rituum Congreg. die, & anno vt ſupra.*

36 *In diebus, quibus prohibetur fieri de Feſto duplici, non poſſunt dici Miſſæ Votiuæ, neque de Requiem. die 28. Aug. 1627. nimirum infra Octauam Epiphaniæ, Paſchatis, Pentecoſtes, in Hebdomada maiori, feria 4. Cinerum, & in Vigilijs Natiuitatis Domini, & Pentecoſtes.*

37 *In Paraſceue non immittitur particula in Calicem cum ſignis Crucis conſuetis. die 28. Auguſti 1627.*

38 *Sæpius Decretum eſt, Epiſcopos carere facultate delegandi alijs benedictionem paramentorum, & earum rerum, in quibus vnctio non adhibetur.*

39 *Si ob terræ frigiditatem populus veniat ad Eccleſiam tardè pro ſolemni Miſſa, decreuit Sac. Rituum Congregatio præſtare, quòd recitetur tardius hora Tertia, quàm quòd recitetur Miſſa de feſto poſt Sextam. De hoc Decreto teſtatur Ioan. Alcocer in ſuo Cærimoniali.*

40 *Eodem Alcocer teſte, eadem Sac. Congreg. conceſſit inſignioribus Regularium Eccleſijs vſum Planetarum plicatarum.*

41 *Eodem Teſte, eadem decreuit celebrantem, & Miniſtros ſedere poſſe, dum cantatur Epiſtola, & Graduale.*

42 *Miſſas, quæ circumferuntur, à Sac. Rituum Congreg. non approbatas, S. Gregorij pro Viuis, & Defunctis, xv. Auxiliatorum, & de Patre Aeterno, & quaſcunque alias (exceptis ijs, quæ ſunt permiſſæ certis Regularibus tantùm) velut Roſarij, S. Mariæ de Carmelo, & alias, ſicut etiam Officia ab eadem non approbata, Sac. ead. Cong. prohibuit, reiecit omnino, & damnauit reſpectiuè, & pro prohibitis, reiectis, & damnatis, haberi voluit. 8. Aprilis 1628.*

43 *Declarauit autem nouiſſimè eadem Sac. Rit. Cong. per hoc Decretum non prohiberi Miſſas xxx. pro Defunctis à Diuo Gregorio inſtitutas in Dial. c. 55.*

44 *Abrogatus fuit vſus deferendi nocte in feria Sexta Paraſceue ſanctiſsimam Euchariſtiam, à Sac. Cong. ſuper negotia Epiſcoporum. die 22. Martij 1596.*

34 *Decreta Sac. Congregationis Concilij S. D. N. Vrbani diuina prouidentia PP. VIII. authoritate edita, de celebratione Miſſarum.*

Cum ſæpè contingat, in quibuſdam Eccleſijs tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex varijs Defunctorum relictis, aut piorum Eleemoſynis impoſitum eſſe, vt illis, pro ſingulis diebus præſcriptis, nequeat ſatisfieri; & tamen noua onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur: indeque fiat vt depereant piæ teſtantium voluntates; obſtricta Benefactoribus fides violetur; defunctorum Animæ ſuffragijs priuentur; Eccleſijs debitus ſubtrahatur cultus: ac Chriſtifideles graui ſcandalo affecti, plerumque à ſimilibus charitatis operibus retrahantur. Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ij, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas breui ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quod Eccleſijs, ſorte pecuniarum abſumpta, plerumque nuda remaneant onera Miſſarum, abſque vllo emolumento; aut quod Eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeo tenuis, vt non facile inueniantur,

tur,

Digitized by Google

tur, qui velint huic ſe muneri ſubijcere; & redditus Eccleſiæ, aut monaſterij adeo exigui, vt Sacerdotes pro neceſſaria ſua ſubſtentatione nouis ſe oneribus obſtringere compellantur. Sac. Cong. Cardin. Concilij Trid. Interpretum animaduertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique, ac Iuſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat, hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica conuellere, atque eradicare: Sanctiſſimi D. N. Vrbani diuina prouidentia PP. VIII. authoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit; Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis: ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apoſtolicam Sedem recurratur; quæ re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiuſmodi, ſi quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit; Deinde vbi pro pluribus Miſſis, etiam eiuſdem qualitatis, celebrandis plura ſtipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſiue ab vna, ſiue à pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſterijs, Conuentibus, Congregationibus, Domibus, ac locis pijs quibuſcumque, tam Secularibus, quàm Regularibus Sacra Congregatio ſub obteſtatione diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ Eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant; Quin immo grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur. Id verò vt deinceps obſeruetur exactius, Sac. Cong. eadem authoritate reuocat Priuilegia, & Indulta omnia, quibuſuis perſonis, Eccleſijs, ac locis pijs, tam Secularibus, quàm Regularibus, cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, ſeu Oratio-

C 4 *nibus,*

Digitized by Google

nibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac ſimiliter omne damnabile lucrum ab Eccleſia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa Eleemoſyna, ne eandem Miſſam alteri, parte eiuſdem Eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, ne in Eccleſijs, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, vt par eſt, adimplendis eo tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera huiuſmodi cum nulla, aut parua ſint vtilitate coniuncta, ſtatuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Eccleſijs, Capitulis, Collegijs, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſterijs, Conuentibus, ac locis omnibus tam Secularibus, quàm Regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum, ab ijs, ad quos pertinet (ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrendo) à die realis acquiſitionis ſtatim deponi debeant penes Aedem ſacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium quamprimùm inueſtiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expreſſa, & indiuidua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac ſi eadem bona immobilia, authoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium ſub eadem pœna, vt ſupra, deponi, atque in alijs bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Ad hæc Sac. Cong. quibuſuis Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum locorum, tam Secularium, quàm Regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne in poſterùm onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum; Seculares quidem ſine Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij, Regulares verò ſine Generalis, vel Prouincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda: alioquin Secularis, qui huius prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis verò pœnam priuationis om-

nis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, abſque alia declaratione incurrat. Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum idem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt noua quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omnino abſtineant ab huiuſmodi Eleemoſynis, etiam ſpontè oblatis in futurum recipiendis, & capſulas auferant ab Eccleſijs cum inſcriptione illa (Eleemoſyna pro Miſſis) vel alia ſimili, ſub ijſdem pœnis ipſo facto incurrendis; ne fideles hac ratione fruſtrentur. Epiſcopus verò, ſeu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut loco pio incumbentibus; nec antea aſſenſum huiuſmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes tam nouo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis iàm ſuſceptis ſatisfacere poſſe: præcipuamque rationem habeant, vt redditus, qui Eccleſijs, & locis pijs relinquuntur; omnino reſpondeant oneribus adiunctis, ſecundum morem cuiuſque Ciuitatis, vel Prouinciæ: intelligantque ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint; in Nouiſſimo die ſe huius prætermiſſi muneris rationem eſſe reddituros.

Poſtremò Illuſtriſſimi Patres, non ſine graui animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quæ regularem diſciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facultatem fouent in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant redditus, & Eleemoſynæ cuiuſque Monaſterij; inhærentes ſummorum Pontificum, ac Sac. Trident. Concilij Decretis, hac de re editis, Sanctiſſimi Domini Noſtri authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcumque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conuentuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cuiuſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti exiſtentium intra fines Italiæ,

& in-

& inſularum adiacentium; vt ſinguli, ad quos pertinet, in qualibet Prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum vſu peritioribus, bona immobilia, Cenſus, Redditus, & prouentus omnes, conſuetas item Eleemoſynas, & Obuentiones, tam communes Monaſteriorum, Conuentuum, & Domorum eiuſdem Prouinciæ, quàm etiam ſingularibus perſonis Religioſis aſſignatas, ſeu permiſſas, in communem vſum deinceps conferendas, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione, diligenter, & maturè recognoſcant, ijs omnibus detractis, quæ reparationes, præſtationes; grandines, ſterilitates, aliauè cuiuſlibet generis onera conſueuerunt abſorbere, eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cuius intereſt, in proximo Capitulo, ſeu Congregatione Generali, vel Prouinciali, coram tribus Iudicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis, proponat; qui, computatis huiuſmodi redditibus, Eleemoſynis, & obuentionibus vniuerſis, & oneribus, vt ſupra, detractis, ſedulò examinent, quot Religioſi homines (connumeratis etiam Laicis, alijsque Seruientibus) in vno quoque Monaſterio, Conuentu, & Domo Regulari, iuxta regionis, & proprij Inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorumdem bonorum, redditumm, Eleemoſynarum, & onerum præciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus diſcuſſis, cuiuſque Familiæ, Monaſterij, Conuentus, ac Domus Regularis in ſingula quaque Prouincia certus earum tantùm perſonarum numerus, Patrum Capitularium Voto, præfigatur, quæ redditibus, Eleemoſynis, & obuentionibus, vt ſuperius, ſufficienter ali poſſint. Ne verò Superiores, qui id præſtare debent ſerius, aut remiſſius, quàm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant, mandat Sac. Congregatio, vt infra annum, poſt proximum Capitulum Generale, vel Prouinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta ad Sac. ipſam Congregationem Concilij ſinguli mittant; numerumque Familiæ, ſingulorumque Conuentuum, Monaſteriorum, & Domorum huiuſmodi Regularium, Capituli, ſeu

Congreg.

Congreg. Generalis, vel Prouincialis ſententia, & auctoritate præfinitum, ijdem Superiores tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm Locales perpetuò ſeruare omnino teneantur; nec poſſint illum quoquomodo augere, etiam prætextu augmenti redditum, abſque Sac. ipſius Cong. licentia. Superiores autem huiuſmodi, qui prædicta omnia in præfixo termino non præſtiterint; vel numerum, vt ſupra præſcriptum quouis modo augere præſumpſerint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ, & ad omnia ſuæ Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque alijs etiam grauioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis, Sac. Congregatio ſubiacere voluit, & declarauit.

Deinceps verò Monaſterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium, nullibi recipiatur, niſi præter alia ad id requiſita, in ſingulis eiuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monachi, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis Eleemyſonis, detractis omnibus, vt ſupra, detrahendis, competenter ſuſtentare valeant, ad præſcriptum Decreti ſel. rec. Greg. XV. hac de re editi. Alioquin Monaſteria, & loco huiuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, vt ſupra, ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint, Ordinarij loci Viſitationi, Correctioni, atque omnimodæ Iuriſdictioni ſubiecta eſſe intelligantur.

Porro, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, ſeu deſuetudinem abeant, Superiores locales cuiuſque Monaſterij, Conuentus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur ſub pœna priuationis officij, vociſque actiuæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrenda, vt in perpetuum, ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduentus, & feria ſexta poſt Octauam Corporis Chriſti præſentes Ordinationes in publica menſa perlegantur. Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis, cuiuſcunque ſint Ordinis, conditionis, & gradus, quàm Laicis, quocumque honore, ac poteſtate præditis, præſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta. Non obſtantibus

Digitized by Google

ſtantibus (quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in præſentibus Decretis contenta) Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſt. in fauorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuſlibet alterius Inſtituti, etiam neceſſariò, & indiuiduò exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque, tam Secularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus; priuilegijs quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis, etiam mare Magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus Decretis: etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis; etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum (non autem per clauſulas generales) mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur (illis aliàs in ſuo robore permanſuris) Sac. Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate ſpecialiter, & expreſſè derogat, cæteriſque contrarijs quibuſcumque.

Et nè præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit; voluit eadem Sac. Congregatio, vt præſentes Ordinationes in Valuis Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Vrbe, ac in acie Campi Floræ, vt moris eſt, affixæ, omnes, ad quos pertinet ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent: vtque earundem præſentium

transſum-

tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

Coſmus Card. de Torres.

loco ✠ ſigilli.

Proſper Fagnanus S.Cong.Sec.

Declarationes aliquot Sac. Congregationis Concilij S.D.N. Vrbani VIII. auctoritate æditæ, ſuper Decretis eiuſdem Congregationis, de celebratione Miſſarum.

35 *Super primo Sac.Congregationis Decreto, de celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo, reducant onera vlla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis.*

Quæritur quid ſi Legatum ſit ita tenue, vt non ſit, qui velit onus illi iniunctum ſubire; & ſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſarijs?

Et quid ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, vt poſſit huiuſmodi moderari?

Secundo, ſuper ſecundo eiuſdem Congregationis Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Miſſæ, quot ad rationem tributæ Eleemoſynæ præſcriptæ fuerint.

Quæritur: an verba illa (præſcriptæ fuerint) intelligenda ſint de præſcriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertio, an cum Ordinarius præſcripſerit Eleemoſynam congruam iuxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo, teneantur Miſſas illis ab Offerente præſcriptas celebrare?

Quarto, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione be-

ne beneficij, ſeu Cappellæ, Legati, aut ſalarij, poſſint etiam manualem Eleemoſynam pro Miſſis Votiuis, aut Defunctorum recipere; & vnico Miſſæ Sacrificio vtrique oneri ſatisfacere?

Quinto, poſito, quod Teſtator relinquat, vt celebrentur pro eius anima centum Miſſæ, abſque vlla præſcriptione Eleemoſynæ: Quæritur, an liberum ſit heredibus, Eleemoſynam ſibi bene viſam præſcribere; an verò eadem Eleemoſyna præſcribenda ſit ab Ordinario.

Sexto, ſuper tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat Priuilegia, quibus indulgetur, vt certarum Miſſarum, vel Anniuerſariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, ſeu Orationibus, pluribus Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat. Quæritur, an verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Priuilegium?

Septimo, ſuper quarto eiuſdem Congregationis Decreto; quo prohibetur Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandam cum certa Eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte eiuſdem Eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat. Quæritur, an permittendum ſit Adminiſtratoribus Eccleſiarum, vt retineant aliquam Eleemoſynæ portionem pro expenſis manutenſionis Eccleſiæ, Altarium, inſeruientium, paramentorum, luminum, vini, hoſtiæ, & ſimilium?

Octauo, an hoc Decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, ideſt, an Rector Beneficij, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti dare ſtipendium ad rationem reddituum beneficij?

Decimo, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur Eleemoſyna maior ſolita pro celebratione Miſſæ, debeant dare eamdem integram Eleemoſynam ijs, quibus Miſſas celebrandas committunt: An verò ſatis ſit, vt dent celebrantibus Eleemoſynam conſuetam?

Vndecimo, ſuper quinto eiuſdem Congregationis Decreto, quo inter cætera ſtatuitur in hæc verba: Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis, ita demum ijdem accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, vt no-

ua quo-

Digitized by Google

ua quoque onera obire valeant; alioquin omnino abſtineant ab huiuſmodi Eleemoſynis, etiam ſponte oblatis, in futurum recipiendis, & capſulas auferant, &c. Quæritur, an hoc Decretum prohibeat abſolutè, quominus accipiant nouas Eleemoſynas ij, qui acceptis non ſatisfecerunt: & quid ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Duodecimo, quid, ſi offerens Eleemoſynas, audito impedimento, conſentiat, vt Sacerdos Miſſam celebret cum primùm poterit?

Decimotertio, an pœna interdicti, & aliæ appoſitæ in eodem Decreto afficiant tam eos, qui accipiunt Eleemoſynas contra formam ibi præſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſijs, vt ibidem præcipitur?

Decimoquarto, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capſulæ, quæ apponi ſolent in Eccleſijs in die commemorationis omnium Defunctorũ, & vulgo dicuntur Caſſe de Morti?

Decimoquinto, an Adminiſtratores Eccleſiæ magnę deuotionis, & concurſus, poſſint Eleemoſynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi ijſdem miſſis non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne aliàs cultus Eccleſiæ, & deuotio, ac concurſus fidelium, vt aiunt, minuantur.

Decimoſexto quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegijs, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & Piorum locorum, tam Secularium, quàm Regularium, Superioribus, de quibus fit expreſſa mentio: non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali (& alij, ad quos pertinet) ſupplicatur pro opportuna declaratione?

Decimoſeptimo, ſuper ſeptimo eiuſdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in ſingulis Monaſterijs Religioſorum præfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut Eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari. Quæritur, An vbi hæc præfixio facta iàm fuit in vim ſimilis Decreti, ſan. mem. Pauli V. abſque tamen computatione redditaum cuiuſque Religioſi, ſit denuo facienda, nec ne?

Decimooctauo, an Nouitij, ad habitum Regularem admiſſi,

poſsint

poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſterijs, in quibus habita, vt ſupra præfixione numeri, commodè ali non poſſunt?

Decimonono, ſuper vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, niſi præter alia ad id requiſita, duodecim ſaltem Fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, ita vt alioquin ſubſint Iuriſdictioni Ordinariæ. Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quæ non conſueuerunt onera Miſſarum recipere, vt ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Ieſu?

Vltimo, an idem Decretum, vbi diſponit, vt nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam eſt reſtrictum Decretum proximè antecedens; An verò etiam extra Italiam?

Sacra Congreg. Card. Concilij Tridentini Interpretum, auctoritate ſibi à Sanctiſs. D. N. attributa, ad ſingula dubia ſuperius propoſita ad hunc modum reſpondet, videlicet

Ad primum, etſi Legatum ſit adeo tenue, nihilominus, pro reductione oneris, vt ſupra, impoſiti ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam; quæ abſque vlla impenſa id ſtatuet, quod magis in Domino è re eſſe iudicauerit. Verumtamen ſi in ipſa beneficij erectione expreſsè cautum fuerit, vt liceat Epiſcopo iniunctum onus reducere, ac moderari; legem hanc fundationis, quam Decreta hac de re ædita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſeruandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui Eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quod ſi tribuens Eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit; tunc tot Miſſas celebrari debere, quod præſcripſerit Ordinarius, ſecundum morem ſuæ Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficij, ſeu Cappellæ, legati, aut ſalarij, ſi Eleemoſynas pro alijs etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa vtrique obligationi ſatisfacere.

Ad quintum, cenſuit vbi nullam certam Eleemoſynam teſtator re-

tor reliquit, eſſe ab Epiſcopo reſcribendam Eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarum, ſecundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad ſextum, ita eſſe intelligenda.

Ad ſeptimum, reſpondit, permittendum non eſſe, vt Eccleſiæ, ac loca pia, ſeu illorum Adminiſtratores, ex Eleemoſynis Miſſarum celebrandarum vllam, vtcunque minimam portionem retineant, ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione; niſi cum Eccleſiæ, & loca ipſa alios non habent redditus, quos in vſum earundem expenſarum erogare licitè poſſint: & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantùm Miſſæ Sacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ. Et nihilominus eo etiam caſu curandum eſſe, vt ex pecunijs, quæ ſuperſunt (expenſis vt ſupra deductis) abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab offerentibus Eleemoſynas.

Ad octauum, non habere locum; ſed ſatis eſt, vt Rector beneficij, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti Eleemoſynam congruam ſecundum morem Ciuitatis, vel Prouinciæ: niſi in fundatione ipſius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad decimum, debere abſolutè integram Eleemoynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad vndecimum, reſpondit, non prohiberi abſolutè: ac propterea, & ſi oneribus iam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen noua etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad duodecimum, quamuis onera ſuſcepta infra modicum tempus adimpleri nequeant: ſi tamen tribuens Eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione, id ſciat, & conſentiat; vt illæ tùm demum celebrentur, cum ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit: decretum non prohibere, quo minus eo caſu Eleemoſyna accipiatur pro ijſdem Miſſis, iuxta benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad decimumtertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcipientibus onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia

centia Epiſcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimumquartum, comprehendi.

Ad decimumquintum, non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui Eleemoſynas tribuunt, vt ſupra in reſponſione ad duodecimum.

Ad decimumſextum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimumſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam ſeruata forma vltimi Decreti hac de re editi.

Ad decimumoctauum, eſſe admittendos, ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant; ac deinde in aliquo alio Monaſterio eiuſdem Religionis eſſe collocandos, vbi commodè ali poſſint.

Ad decimumnonum, cenſuit comprehendere.

Ad vltimum, habere locum etiam extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres.

loco ✠ ſigilli.

Proſper Fagnanus Sac.Cong.Sec.

De officij Diuini, & Miſſarum celebratione Decretum Sac. Congreg. Rituum vbique obſeruandum.

36 *SAcra Rituum Congreg. ad tollendos abuſus, qui varijs in locis irrepſerunt, re maturè diſcuſſa, cenſuit, & decreuit.*

Primò, non potuiſſe, nec poſſe locorum Ordinarios, tam Seculares, quàm Regulares, addere Calendarijs, etiam proprijs, Sanctorum officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel ſacræ Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur.

Inſuper vetuit, & prohibuit celebrari per totam Ciuitatem, vel Diœceſim, etiam de cuiuſque auctoritate Ordinarij, Miſſam, vel Feſtum cum officio de Sancto, eo quod in loco adſit Eccleſia Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia: ſed tantùm in ipſius Sancti Eccleſia Titulari, ſeu vbi aſſeruatur inſignis Reliquia, & non alibi.

Inſignes autem Reliquias declarauit eſſe Corpus, Caput, Brachium,

Digitized by Google

chium, Crus, aut illam partem Corporis, in qua paſſus eſt Martyr, modo ſit integra, & non pauca, & legitimè ab Ordinarijs approbata.

Miſſas item, quæ circumferuntur, à Sacra Congregatione non approbatas, S. Gregorij pro viuis, & defunctis, xv. Auxiliatorum, & de Patre Aeterno, & quaſcunque alias; exceptis ijs, quæ ſunt permiſſæ Regularibus tantùm; veluti Roſarij, ſanctæ Mariæ de Carmelo, & alias, ſicut etiam Officia ab eodem non approbata, prohibuit, reiecit omnino, & damnauit reſpectiuè; & pro prohibitis, & damnatis haberi voluit.

Quæ omnia decreuit, ſtatuit, & mandauit ſub pœnis contentis in Bullis Pij Quinti, initio Breuiarij, & Miſſalis poſitis, quod ſcilicet non ſatisfaciant muneri recitandi diuini officij. quo verò ad vtentes ſupradictis Miſſis, ſub alijs pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum, ex decreto Sac. Cong. Trid. edito.

Et ne præmiſſorum ignorantia vllo vnquam tempore poſſit ab aliquo prætendi, neque obliuio poſſit irrepere; eadem Sac. Cong. voluit, & mandauit, Decreta huiuſmodi affigi in Sacriſtijs omnium Eccleſiarum, tam Secularium, quàm Regularium, etiam Parochialium, Metrapolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & aliarum quarumcunque, in eiſque perpetuò affixa aſſeruari.

Facta demum relatione horum Decretorum Sanctiſſimo Domino Noſtro Vrbano PP. VIII. idem Sanctiſſimus ea laudauit, approbauit, atque ab omnibus vbique ſub prædictis pœnis ſeruari præcepit. In quorum fidem manu, & ſigillo Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinalis Deti præſens Decretum ſignatum, & munitum fuit. die 8. Aprilis 1628.

Ioannes Baptiſta Card. Detus.

loco ✠ ſigilli.

F. Fuluius Benignus Sec.

37 DE MISSIS VOTIVIS SOLEMNIBVS.

1 *QVando ſit de feria, pro Conuentuali Miſsa, poteſt cantari Miſsa Votiua de Trinitate, in fer. 2. de Angelis, fer. 3. de Apoſtolis, fer. 4. de Spiritu ſancto, fer. 5. de ſanctiſſimo Sacramento; de Cruce, vel de Paſſione fer. 6. de B. Virgine in Sabbato.*

2 *Non autem in ferijs Aduentus, Quadrageſimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, Vigiliarum.*

3 *Neque quando reſumenda eſt Dominica præcedentis prętermiſsæ propria Miſsa.*

4 *Non dicitur Gloria (niſi in Sabbato) neque Credo.*

5 *Orationes plures dicuntur, & ſecunda Oratio erit eius feriæ, de qua ſit Officium.*

6 *Pręfatio dicitur propria, ſi habetur, & in cantu ordinario.*

7 *Miſsa Votiua ſolemnis celebrari poteſt, etiam in die Feſto, ſeu Dominica (non in maioribus Feſtis) pro re graui, vel publica Eccleſiæ cauſa, Cantata altera de die in Collegiatis.*

8 *Res grauis eſt, pro qua conuenit Epiſcopus cum Clero, & Populo.*

9 *Et in hoc caſu dicuntur Gloria, & Credo, niſi paramenta ſint violacea; & cum vnica Oratione, & Præfatione in cantu ſolemni.*

10 *In Miſſa ſolemni pro gratiarum actione dicuntur duæ tantùm Orationes aſſignatæ.*

11 *Item duæ in Miſſa ad poſtulandam gratiam Spiritus ſancti.*

12 *Euangelium vltimum ſemper erit S. Ioannis*, In principio, &c.

13 *Miſſa de B. Virgine poteſt cantari in Sabbatis Aduentus cum* Gloria *(excepto Sabbato Quatuor temporum) loco Miſſæ principalis, & niſi occurrat Vigilia S. Thomæ.*

14 *Miſſa Votiua, ſeu quaſi feſtiua pro Societate Roſarij, ſeu Carmeli de B. Virgine concurrente populo cantari poterit cum vnica Oratione, Gloria, Credo; ex Votiuis tamen de Beata Virgine in Præfatione dici poterit*, Et te in Feſtiuitate.

Si in-

15 *Si infra Octauam Paſcha cantetur, non dicitur Graduale, licet in Miſſa de die dicatur.*

16 *Si infra Octauam Natiuitatis Domini, Præfatio erit de Natiuitate, omiſſà propria.*

38 DE MISSIS VOTIVIS PRIVATIS.

1 *Miſſæ, de quibus ſupra num.1. poſſunt dici ex rationabili cauſa extra dies ibidem aſſignatas, non tamen in Dominica, neque in Feſto duplici.*

2 *Neque in diebus, quibus prohibetur fieri Feſtum duplex, nempè infra Octauas Epiphaniæ, Paſchatis, & Pentecoſtes; neque in fer.4. Cinerum; neque in maiori hebdomada; neque in Vigiliis Natiuitatis Domini, & Pentecoſtes.*

3 *Obligatus his diebus ad Miſſas Votiuas, ſatisfacit celebrando Miſſam, quæ concordat cum Officio.*

4 *Cauſa rationabilis non eſt, vt breuiorem Miſſam celebret Sacerdos.*

5 *In Miſſa de Cruce, vel Paſſione, & in omnibus Votiuis, tempore Paſſionis dicitur Pſal.* Iudica, *&* Gloria Patri *in Introitu, & ad Lauabo.*

6 *Gloria nunquam dicitur, niſi in Miſſa de Angelis, & S.Mariæ in Sabbato, etiam in Aduentu. Aliàs nunquam, neque in Eccleſia, neque ad Altare B.Virginis.*

7 *Plures Orationes dicuntur in Votiuis. Secunda erit ſemper, de quo fit Officium, & tertia de S. Simplici, ſi fiat commemoratio in Officio.*

8 *In Votiuis de B.Virgine loco, à Cunctis, dicitur Oratio de Spiritu ſancto.*

9 *In Votiuis de Spiritu ſancto dicitur tertio loco,* A cunctis, *quando dici ſolet ratione temporis. In Votiuis de Apoſtolis, pro,* A cunctis; *dicitur,* Concede *de B.Virg.*

10 *In Votiuis pro Gratiarum actione, dicitur ſecunda de officio; tertia pro gratiarum actione, & eodem modo in Miſſa ad poſtulandam gratiam Spiritus ſancti.*

11 *Tempore Aduentus dicitur Graduale cum Alleluia, licet hoc omittatur in Miſſa de feria.*

12 *Miſſa Votiua de Sancto ſumitur de Feſto eiuſdem, vel de Communi, & habeatur ratio temporis Paſchalis, ſeu non Paſchalis.*

13 *Si exigatur de Aſſumptione, vel alia feſtiuitate B. Virginis, dicatur Miſſa, vt in Votiuis, cum intentione ad tale myſterium Aſſumptionis, &c.*

14 *Si exigatur de Roſario, quæ eſt prohibita, dicatur pro ea, vt in Votiuis de B. Virgine. Si verò ex teſtamento Defuncti oriatur obligatio, conſulatur Sac. Congregatio Rituum, quæ ſolet mutare in communem Votiuam.*

15 *Introitus, & Orationes mutationem habeant, vt pro* Feſto, *dicatur* Commemoratio, *& taceatur, ſi adeſt, verbum* hodie, *vel* hodierna die.

16 *Miſſa pro eligendo Summo Pontifice dicitur extra diem Dominicum, & Feſtum duplex.*

17 *In Miſſa de Creatione, Coronatione Papæ, Creatione & Conſecratione Epiſcopi, in Anniuerſario earundem dici poteſt cum Gloria, & Credo, & vnica Oratione extra Dominicam, & diem Feſtum ſolemne. In quibus caſibus fiat in Miſſa de Feſto, commemoratio de prædictis.*

18 *Miſſa pro ſponſo, & ſponſa dicitur in benedictione Nuptiarum extra diem Dominicum, & Feſtum ſolemne, ſine Gloria.*

19 *Miſſæ aliæ ad tollendum ſchiſma, &c. vſque ad Miſſam pro iter agentibus incluſiuè, dici poſſunt extra Dominicam, Feſtumque duplex.*

20 *Miſſæ de xv. Auxiliatoribus, de Patre Aeterno, de S. Gregorio pro Viuis, & Defunctis prohibitæ ſunt, ita vt nec retineri poſſint ſub pœna Indicis librorum prohibitorum.*

21 *Quæ diximus in ſolemnibus num. 6. 12. & 16. communia ſunt Miſſis Votiuis priuatis.*

39 DE COLORIBVS MISSARVM VOTIVARVM.

Color is adhibendus eſt, qui conceditur Feſto cuius Miſſa Votiua dicitur.

Miſſæ de Cruce color rubeus: de Paſſione violaceus:

Pro

Pro eligendo Summo Pontifice, rubeus.

Pro Creatione, Coronatione Papæ, Creatione, & Conſecratione Epiſcopi, albus.

Pro ſponſo, & ſponſa, albus.

Pro Miſſis, de quibus num. 19. *violaceus, &c.*

40 Concluſiones, & Regulæ nonnullæ ex Commentarijs prædicti P. Bartholomæi Gauanti in Rubricas Miſſalis Romani, ſelectę.

1 *QVando Rubrica dicit, quoad fieri poteſt, Miſsa cum Officio conueniat, loquitur Rubrica de priuatis Miſſis: nam Miſſa Conuentualis debet ſemper concordare cum Officio, cap. cum Creatura, de celebratione Miſsarum.*

2 *Miſsæ Votiuæ quamuis habeant Præfationem propriam, ſi infra Octauam Natiuitatis Domini celebrantur, non aliam Præfationem admittunt, niſi de Natiuitate, ſicut, & Feſtum S. Ioannis Apoſtoli, & Euang. argumento à fortiori.*

3 *Mutatio colorum in paramentis Altaris, & Miniſtrorum debet fieri in primis Veſperis Feſti. Si autem Veſperæ non ſint integræ, is color adhibendus eſt initio Veſperarum, qui congruit illi, de quo dicitur Capitulum.*

4 *Si Officium, & Miſsa diſcordant, color Altaris ſequitur Officium (excepta Miſsa ſolemni in Vigilia Pentecoſtes, & in Litanijs maioribus, & minoribus.*

5 *Pro Miſsa quacunque ſolemni conuenit, vt Pallium etiam Altaris concordet cum colore paramentorum Miſsæ, quod adnotauit rectè P. Ruiz. in ſuo Cærem.*

6 *Canonicus in Miſsa celebranda non debet vti Almutia, non enim ſpectat ad veſtes Miſsæ, vel Altaris.*

7 *Qui Miſsas nouas celebrant, non poſſunt circuire Eccleſiam ad oblationem, ex Decreto Sac. Cong. Trid. Conc. ſeſs.* 22.

8 *Quando Miſsa Votiua exigitur, verbi gratia de Aſſumptione B. Virg. de Natiuit. eiuſdem, & huiuſmodi, poteſt dici Miſsa Votiua de B. Maria, prout in Miſſis Votiuis, cum intentione ad honorem Aſſumptionis, Natiuitatis B. Mariæ, &c.*

Digitized by Google

9 *Si dicatur aliqua Miſſa Votiua de aliquo Sancto, mutatur in Collecta*, Natalitia, *ſeu* Feſta, *in verbum* Commemorationem.

10 *Orationes, quæ ab Eccleſia certum habent locum præcedunt quaſcumque Votiuas, quæ ad arbitrium Sacerdotis dicuntur, & extremum occupant locum, & ſicut Votiua, verbi gratia de Spiritu ſancto cedit commemorationi Feſti ſimplicis, ita cedere debet Orationi*, A cunctis, *vel alijs, quæ ſecundo, vel tertio loco, iubentur dici: cæteris autem paribus attenditur dignitas eorum, de quibus eſt Oratio.*

11 *Quando cantantur duæ Miſſæ à Dominica Paſsionis vſque ad Dominicam Palmarum, ſcilicet de feria, & de Sancto ſemiduplici, tunc in Miſſa de ſemiduplici, Oratio ſecunda erit*, Eccleſiæ, *vel pro Papa, neque dicetur tertia Oratio: Ita Romæ fit.*

12 *Quando occurrit fieri commemorationem alicuius Sancti, verbi gratia in Officio de B. Maria in Sabbato, tunc in Miſſa ponitur commemoratio illius Sancti ſecundo loco, & tertia Oratio dicitur, quæ aliàs ſecundo loco dicenda erat, & relinquitur, quæ tertio loco dicenda erat, niſi fuiſſet facta commemoratio.*

13 *Oratio pro ſe ipſo Sacerdote non debet dici in Miſſa præſente Epiſcopo proprio, vel eo maiori; vel Principe magno, potius eſt orandum pro Prælato, ſeu pro Principe præſente, ob reuerentiam eorundem maiorum.*

14 *Dominica priuilegiata occurrens in die Octaua duas tantùm habere debet Orationes, de Dominica, & de Octaua.*

15 *In die depoſitionis, & Anniuerſarij Summi Pontificis, pro Cardinale, & Epiſcopo dicitur prima Miſſa, pro Sacerdote autem dictis diebus in pleriſque Eccleſijs maioribus Romæ, dicitur ſecunda Miſſa pro Defunctis, mutata Oratione. Si tamen dicatur Miſſa prima, fauet Rubrica in fine Miſſarum pro Defunctis, quæ concedit, Epiſtolas, & Euangelia vnius Miſſæ dici poſſe in alia quacunque Miſſa pro Defunctis.*

16 *Oratio in tertio, ſeptimo, & trigeſimo dicenda, non debet dici in ijs diebus, quæ occurrunt inter tertium, ſeptimum, & tri-*

Digitized by Google

& trigeſimum, ſed tantùm in proprijs diebus aſſignatis.

17 *Orationes extra Miſſam dicuntur ſemper iunctis manibus.*

18 *Quando dicitur, Confiteor, in principio Miſſæ, non debet addi nomen Sancti Patroni loci, vel alterius, pro libito Sacerdotis, quia Pius V. hoc expreſsè conceſſit Eccleſijs Hiſpaniarum, non igitur fieri debet ſine Papæ licentia.*

19 *Gloria in Excelſis in Votiuis B. Mariæ omnino non dicitur, niſi in Sabbato, nec etiam in Eccleſia B. Mariæ. Dicitur etiam in Miſſis Feſtiuis de Sancto, licet Officium de eo non fiat, in eius die Feſto.*

20 *Dicto Euangelio non defertur liber oſculandus Vicario Apoſtolico, ſed tantummodo illis expreſſis in Rub. Miſſalis: Principibus autem magnis ex tolerantia, non autem inferioribus Laicis: & illis alius liber deferendus eſt, non idem ipſe celebrantis, qui proprium eo caſu ſemper oſculari debet librum: ita ſtatuit Sacra Congregatio ſuper negotia Epiſcoporum. 22. & 28. Auguſti 1589. neque Commendatario. 17. Septembris 1611. Sac. Rituum Congreg.*

21 *Omittens Sacerdos oſculum libri, omittit etiam:* Per Euangelica, *&c.*

22 *Dari Pacem cum Patena in Miſſa prohibuit Pius V. in Epiſt. ad Archiepiſc. Taraconeñ, &c.*

De Oratione quadraginta Horarum, alijſque Deuotionibus. Cap. X.

1 Diuitias præſtantiſsimi ſui erga homines amoris vt effunderet Redemptor noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, auguſtiſsimum ſui Corporis Sacramentum inſtituere voluit; vt pignus futuræ gloriæ nobis daret, & memoriam faceret mirabilium ſuorum. Hanc ergo diuinæ charitatis memoriam, vt grata animi ſignificatione piè recolamus, per Octauam Venerabilis Sacramenti, tribus ſaltem ſingulorum dierum Matutinis horis, in qualibet

Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. 1. Corinth. 11 Luc. 22. verſ. 19. Pſal. 110. verſ. 4.

noſtræ

noſtræ Diœceſis Parochia, ſacram Hoſtiam publicæ fidelium adorationi proponendam, ſuper Altare maius, ſex ad minus luminibus effulgens, & poſt Miſſam Conuentualem, reuerenti proceſſione, ſaltem intra eandem Eccleſiam, circumgeſtandam eſſe mandamus.

2 Qualibet etiam Dominica prima Aduentus, & Dominica Palmarum à Clero cuiuſuis Parochiæ inſtitui debet Oratio quadraginta horarum, cui bini ſemper Sacerdotes, aut ſaltem Clerici alternis vicibus religiosè aſſiſtant; & coram ſanctiſsimo Sacramento ſex ad minus Candelæ, ſexque lampades aſsiduò fulgeant: atque ad occaſum Solis diuinam Hoſtiam humili, qua par eſt, veneratione proſequens Clerus, intra ſuum Tabernaculum recondat; à quo poſtea illam diluculò veneranter educens, tribus continuis diebus Chriſtifidelium cultui publicè exponat.

3 Verùm alio anni tempore huiuſmodi quadraginta Horarum oratio nullatenus coram populo proponatur, ſine peculiari noſtra licentia in ſcriptis commiſſa.

4 Poſt debitum Deo cultum præſtandum, præcipuum apud fideles locum ſibi vendicare humillimam in Deiparam Virginem venerationem, & diuina eius merita, & innumera Chriſtiano Orbi ab ea collata beneficia prædicare cognoſcimus. Quamobrem vt in ampliſsimum honoris gradum, pro viribus, Dei Matrem efferamus, laudabilem & valde pium vſum à Nobis in vniuerſam Diœceſim inductum, alternatim, inſtar Chori cantus, ter per hebdomadam recitandi Sanctiſsimi Roſarij, impensè omnibus commendamus; ſed præcipuè eis Sacerdotibus, qui piam hanc curam excepere, quique editis Campanæ ſignis populum ſemper tantæ deuotionis præmoneant.

5 Eiuſmodi Campanæ pulſus ad Fidelium pietatem iugiter excitandam, quatuor omnino vicibus, die noctuque à Sacriſtis, ſaltem Parochialium Eccleſiarum, dandi erunt: nimirum in Aurora, pro diuino Dei auxilio impetrando; Ad meridiem, pro debita gratiarum actione; Circa occaſum Solis, pro Salutatione Angelica; Et prima noctis hora, pro

ra, pro

Digitized by Google

ra, pro Defunctorum Suffragijs; Sub pœna trium librarum Ceræ albæ laboratæ ad quamlibet tranſgreſsionem.

6 Signum verò Campanæ ad meridiem toto Quadrageſimæ tempore, Vigiliarum, & Quatuor anni Temporum, ad rectam Ieiunij obſeruationem, accuratè à Sacriſtis dandum erit, ſub eadem pœna.

De Indulgentijs, & Eleemoſynarum Quæſtuarijs. Cap. XI.

1 CHriſtiano populo maximè ſalutaris, & antiquiſsimus Indulgentiarum vſus, tanquam Eccleſiæ Theſaurus, non ad quæſtum, ſed ad pietatem frequentandus; vt piè, ſanctè, atque incorruptè diſpenſetur; ſtatuimus nemini tam Seculari, quàm Regulari fas eſſe in vniuerſa Diœceſi, Indulgentias, aut alias ſpirituales gratias, vllo pacto promulgare, ſine ſpeciali noſtra licentia ſcriptis concedenda.

Trid. ſeſſ. 21. c. 9. de Ref. & ſeſſ. 25. c. 21. de Ref.

2 Regulares præterea non ſolùm Indulgentias ipſis conceſſas, ſed nouas etiam Reliquias, vel noua Miracula euulgare, & populorum concurſum, miraculorum prætextu, permittere haud poſſunt, nobis inconſultis, & pro legitima recognitione, atque in vulgus indicendi licentia, non exoratis.

Quemadmodum nulli Eleemoſynarum Quæſtuario permittimus, vt in aliquo noſtræ Diœceſis loco illas colligere valeat, abſque peculiari mandato Noſtro, vel Generalis Vicarij manu obſignato.

4 Indicto Indulgentiarum tempore, Apoſtolici Breuis membrana, in qua illæ deſcribuntur, non ad publicam Eleemoſynarum capſam; vel ad Stationis Altare locata in omnium proſpectum cupidè producta ſit; ſed decentiori Eccleſiæ loco affixa permaneat: vt facilè omnes intelligant, non ad caducarum rerum lucrum; ſed ad diuinarum benedictionum ampliſsimas opes adipiſcendas, cæleſtem

leſtem Indulgentiarum gazam aperiri.

5 Ipſæ ampliùs capſulæ pro Eleemoſynarum Quæſtibus nullibi ſacrorum locorum exponantur, abſque peculiari noſtra licentia, ſcripto, & gratis danda. tum demum non editus templi locus; nec propè Altare, vbi oratio ad Deum fundi debet, ſed alius modeſtè magis diſpoſitus Eccleſiæ ſitus illis aptetur.

De reuerentia Eccleſijs exhibenda. Cap. XII.

1 PErmetuendus Eccleſiæ locus, tanquam Dei domus, quam decet ſanctitudo, ne malè accipiatur, religioſiſsimè ſancitum eſt in ſuperiùs adducta Pij V. Conſtitutione, quam inuiolatam eſse optamus. (cap.9.Dec.14)

2 Idcirco Laici omnes caueant ne dum in Eccleſijs immorantur, brachijs, ſeu alia corporis parte Altaribus inhæreant.

3 Nec ijdem locum aliquem in Choro, dum diuina Officia perſoluuntur, ſibi vendicare audeant; cuiuſuis prerogatiuæ, aut alterius rationis prætextu, ſine licentia Sacerdotis, qui Choro præerit: qui tamen chori Præfectus Laicis Presbyterium commune facere cum Clericis nullo modo poteſt. (Sac.Congreg. Epiſc. 12.Ian. 1604.ad Epiſcopum Sauonen.)

4 Sedes etiam mulierum in Eccleſijs omnino diſſitæ ſint à loco virorum: hique nullatenus immorentur ante Ianuam Eccleſiæ, Sacriſtiæ, ſeu alterius loci, vbi impedimentum alteri, & ſcandalum, ſeu perturbationem diuinis officijs afferant; aut fidelium deuotioni obſint, vel quoquomodo Chriſtianæ pietati officiant.

5 Mulieres etiam ad Eccleſias velato capite conueniant, in eiſque contectæ permaneant; atque ita reuerenter, poſt homines, ad ſumendam ſanctiſſimam Euchariſtiam gradatim procedant, vt perturbatio omnis, confuſio, & irreuerentia, quæ in Communionibus generalibus alicubi irrepſit, funditùs euertatur.

Si quis

6 Si quis ſclopo, aliiſque armis à Regijs Pragmaticis ſanctionibus prohibitis munitus, contemptim & temerè audeat Eccleſias ingredi, vel intra Oratoria, Cappellas, aut alia ſacra loca, eadem arma abſcondere; & eo magis ſi ſclopum longiorē, ſeu paruum in eiſdem ſacris locis explodere non timeat, Anathematis latæ ſententiæ pœnam incurrat.

7 Laicorum Vniuerſitates nullo pacto Eccleſias, aliaq. religioſa loca, vbi ſacra fiunt, publici Concilij, ſeu alterius ſecularis congreſſus, aut magiſtratus gerendi ergo, adire præſumant; ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſię, contra Laicos, & carceris arbitratu noſtro, aduerſus Parochos non prohibentes, & quàm citiſſimè non expellentes. quod decretum locum etiam habeat aduerſus eos, qui ſententias Iudicij proferre, inſtrumenta rogare, & iuramenta habere, intus eadem ſacra loca non verentur. Sac.Congreg. Epiſc. 3.Feb. 1604.

8 Altare, Cappella, Tumulus, atque aliud opus publicum nullatenus in Eccleſijs conſtruatur, nobis inſcijs. Pij V. Cōſtit. quæ incipit, *Cumprimum Apoſt. &c.*

9 Sub nullorum Altarium ſuppedaneo ſcabello, Cadauerum Sepulturę ſint; aliàs Altare ipſum interdicimus, donec tumulus auferatur.

10 Oratoriorum Campeſtrium, aliarumuè Cappellarum, quæ extra Parochias conſtructæ ſunt ita Laicis aditus intercludi debet, vt intra illas nemo aliquas frugum ſpecies, ruta, cæſa, aut quęuis alia bona recondat; ſub pœna amiſſionis eorundem bonorum: dummodo illa omnia eiuſdem Cappellæ non ſint, eique deſeruire debeant, intra breuiſſimum tempus.

11 Sacra templa ſint vndique libera à Laicorum domibus; quarum feneſtrę in Eccleſiam nullo modo proſpectum habeant: neque Officinæ, Tabernę, Ganeæ, aut ſtabula Templis, vel Monaſterijs adhęreſcant.

12 Circumcirca Eccleſiarum parietes nil fœdè peractum, vel proiectum appareat; vt ſunt vrinæ, cęterarumq. ſordium inquinamenta, quibus acriter obſiſtere debent Eccleſiarum Parochi, & Rectores. Ad quos etiam attinet, lapidum, lignorum, aliarumuè rerum congeſtus longiſsimè

ab

ab iiſdem Eccleſiarum parietibus arcere: quemadmodum & Arbores remouere, Vites, Hederas, ac Vepres radicitùs euellere, ne illis quoquomodo officiant.

13 Atque hæc omnia modò enumerata vitanda pariter ſunt in Eccleſiarum Atrijs, ac Cœmeterijs; à quibus, vt à Fanis ipſis, Emporia, & res cunctæ venales procul eſſe debent: ac multo magis ludi vniuerſi; pilæ præſertim, & ad ſcapum lapide rotato, vbi ſtrepitus excitantur; ac damnum piorum locorum tectis imbricatis, valuis, alijſq. ædium partibus infertur.

14 Eſus tandem, potus, profani cantus, choreæ ita abſint à religioſis ædificijs, vt circùm ea ſpatio quadraginta pedum omninò remoueantur; ſub pœnis in Sac. Trid. Conc. contentis; præter alias nobis arbitrarijs infligendas.

Seſſ. 22. c. 1. de Ref.

De Immunitate Eccleſiarum. Cap. XIII.

1 PRaua hominum conſuetudo, leui etiam de cauſa confugiendi ad Eccleſias, adeo inoleuit, vt Religioſa Dei domus ne dum in vile delinquentium Domicilium, ſed in profanum etiam negotiorum omnium Emporium, & turpe ſcelerum Aſylum, commutata eſſe videatur.

2 Propterea Vicarij foranei, & Parochi illicò confugientis Inquiſitionem prudenter indagent, & intra tres dies eiuſmodi rei nos cautè commonefaciant; vt pro tempore Eccleſiarum bono conſulere valeamus; ſub pœna carceris per menſem. Sciant verò omnes piorum locorum Rectores, facinoroſis, quorum meminit Bulla Gregorij XIV. 28. Maij 1591. nullo pacto ſuffugium, neque per viam, præſtari poſſe.

3 Dudum à ſummis Pontificibus conſtitutum eſt ne Regulares intra eorum Monaſteria occultent Exules, Facinoroſos, & Contumaces; quarum Conſtitutionum religioſos viros rectè meminiſſe decet; quemadmodum Iure optimo expedit, vt ſtatim ac quiſpiam ad eorum Eccleſias, vel Monaſteria confugerit, nos pro Eccleſiaſtica immunitate

Sixti V. Breue quod incipit, *Exponi nobis* &c. ſub datũ Romæ apud S. Petrum 20. Maij 1589. & al. Summ. Pontiff.

nitate tuenda, certiores diligentiſſimè reddant.

4 Confugientes verò ad ſacra loca ne illa turbulentiſſimo negotiorum ſtrepitu, ac petulanti licentia deturpent; aliàs enim tanquam in Eccleſijs Delinquentes, Eccleſiaſtica Immunitate minimè gaudere declarabimus.

5 Claues inſuper Eccleſię, vbi ſe contulerint, nequaquam apud ſe retineant, ſed illæ ſemper ſint penes Sacriſtam, vel Hebdomadarium Clericum; ſub pœna Excommunicationis in Laicos, qui contrafaxerint, & Carceris arbitrio, aduerſus Eccleſiaſticos.

6 Qua etiam pœna cautum ſit, ne Turris Campanarię aditus alijs pateat, quàm ipſis Sacriſtis, vel Hebdomadarijs; qui eius claues circumſpectè cuſtodiant; ne profana, vel immunda ibi committantur: nullaque dent Campanę ſigna, niſi in tempore: neque illam contra Banditos, vel ad alium tumultuoſum, ſeu profanum vſum pulſari ſinant; nempe ad conuocandum populum, aut conſilium; ad edenda ſpectacula; ad choreas ducendas; ad currendum in ſtadio; & alia huiuſmodi. Campanæ verò nullatenus appendantur, quouſque à nobis fuerint benedictæ; & earum funes extra turrim nullo modo dependeant.

7 Pręterea claues omnium Eccleſiarum, Oratoriorum, & Cappellarum exiſtentium extrà Parochias noſtrę Diœceſis, in aliqua Sacriſtię Matricis Eccleſiæ propria Arcula recondantur; & Parochię ipſius claues à Sacriſta, vel Hebdomadario aſſeruentur: neque Eccleſia vlla ante Auroram aperienda eſt; niſi aliter neceſſitas vrgeat.

8 Statim, perſolutis diuinis officijs, celebratiſque Miſſis, obſerentur Ianuę omnium Eccleſiarum noſtrę Diœceſis; ne illę Laicis in turpem vſum, & ſcandalum pateant.

9 Quoniam ex antiqua conſuetudine Polycaſtrenſis Diœceſis non licet cuilibet Officiali, vel Miniſtro Curię Secularis ingredi domum Clericorum ad ſuam exercendam Iuriſdictionem, ſine ſpeciali licentia à Nobis, vel ſaltem à Vicarijs foraneis, compellente neceſſitate, obtenta; idcirco decernimus nullum Officialium, vel Adminiſtrorum Se-

cularium

Digitized by Google

cularium contra hanc legitimam conſuetudinem ire debere; ſub pœnis & Cenſuris à Sac. Canonibus, & Pontificijs Conſtitutionibus inflictis contra violantes, vel perturbantes Eccleſiaſticam Immunitatem.

10 Clerici noſtrę Diœceſis triticum nunquam molant, ſine teſſerula à locorum Curatis obſignata; vt debita cuilibet, ac certa portio longè latèque pateat, & nulla fraudis ſuſpicio deliteſcat.

Sac. Congreg. Epiſc. 9. Ian. 1601. 26. Nouemb. 1602. & 9. Octob. 1618. ad Epiſcopum Tropień.

11 Facultas abſoluendi eos, qui Eccleſiaſticam Immunitatem violant, ad præſcriptum Conſtitutionis fel. rec. Gregorij XIV. quæ incipit, *Cum aliàs nonnulli*, eſt penitùs reſeruata Papæ, & adempta cæteris; etiam ſi hi ampliſſimis Indultis, Priuilegijs, alijſque facultatibus perfruantur.

De publicis Proceſsionibus. Cap. XIV.

1 VBerrimus publicarum ſupplicationum fructus vt melius percipiatur, & grauiſſima ſcandala, quæ paſſim Laicorum ambitu oriuntur in conſuetis Proceſsionibus auguſtiſsimi Sacramenti, è medio tollantur; nulla poſthac Secularium perſonarum, ſub quouis prætextu audeat in illis aſportare Haſtas Vmbellæ; ſed hæ continuò deferantur à quatuor Senioribus Cleri eligendis à Parocho cuiuslibet loci noſtræ Diœceſis; & vbi Sacerdotes deſiderantur, munus id obeant Clerici Parochorum arbitratu ſelecti; ſub pœna Excommunicationis contra Laicos, qui contrauenerint.

2 Laici non ſe in Proceſsionibus immiſceant Clericis, nec mulieres hominibus; ſed quiuis ſuo loco, & ordine modeſtè in illis progrediatur.

3 Clericorum nullus ſine veſte talari, Bireto, ac Superpelliceo mundo indutus publicis Supplicationibus, diuinis officijs, ac cæteris Eccleſiaſticis functionibus id ritè exigentibus, interſit; nec pileo, aut pallio Cottæ impoſito in Proceſsionibus vtatur, niſi pluere accidat. Quicunque

verò

verò Proceſsionibus interſunt, tam Clerici, & Regulares, quàm Seculares, ac Laicorum Societates, Proceſsionem nunquam deſerant, quouſque ad Eccleſiam reuertantur, & benedictionem ibi à Superiore humiliter acceperint.

4 Atque omnes bini bini tam grauiter, ac modeſtè incedant, vt ſe ſe Deo ſupplices, & populo deuotos, per ſui muneris functionem, exhibeant.

5 Quæ ne vel minimùm negligantur, cuilibet Proceſſioni præſit Cenſorius Sacerdos à Vicarijs foraneis deſtinatus; vt is procedentium agmen inſtruat; impedimenta remoueat, & ſingulorum errata, pœnis arbitrio noſtro coercenda, diſcernat, atque ad Nos diligentiſsimè referat.

6 Cum Proceſsionis iam paratæ tempus inſtat, tunc primùm Campanæ illius Eccleſiæ, vnde illa egreditur, armonico, & ſolemni ſono reboent vſque dum ea penitùs egreſſa ſit. Quod etiam præſtandum omnino eſt, cum illa ad ſuam Eccleſiam redit; & ab alijs quoque Eccleſijs, dum ante ipſas procedit; atque eædem ipſæ Eccleſiæ decenti ornatu niteſcant.

7 Præcipuè Feſto die ſanctiſsimi Sacramenti, quando ineffabilis, ac planè diuina tanti beneficij memoria, per ſolemnes Proceſsiones, ab vniuerſo Chriſtiano Orbe recolitur, æquiſsimum, & Religioni valde conſonum eſt, vias omnes, per quas incedendum erit, mundari, ac floribus conſpergi, in gratiſsimum ſummæ venerationis, ac lętitiæ ſignum.

8 Proceſsiones autem omnes manè, poſt celebratam Miſſam Conuentualem, tantummodo fiant: & præter conſuetas Proceſsiones ab Eccleſia ſtatutas, nulla vnquam alia publica Supplicatio decernatur; etiam à Religioſis exemptis noſtræ Diœceſis, ſine bona noſtra venia; ſub pœna Eccleſiaſtici interdicti, tùm Eccleſiæ, à qua illa digreditur, tùm Eccleſiaſticarum perſonarum, quæ eidem interſint.

9 Proceſsionum tamen ſolemnium ſemel in anno, pro celebritate S. Titularis, & Patroni cuiuslibet Parochiæ, vel Caſtri noſtræ Diœceſis: nec non priuatarum Proceſ-

ſionum, quæ ab alijs Eccleſijs, & Confratrijs fiunt, perantiquum, ac laudabilem morem retinendum eſſe concedimus.

10 A' publicis Supplicationibus, ad quas Iure accedere compelluntur tàm Seculares, quàm Regulares, hi nullo pacto abſint; ſub pœna Interdicti Eccleſiæ, contra Regulares; & viginti librarum Ceræ albę laboratæ, aduerſus Laicorum Confraternitates.

Ex Trid. ſeſſ. 25. cap. 13. de Regul.

De Horis Canonicis, ac Diſtributionibus Quotidianis. Cap. XV.

1 SOlent noſtræ Diœceſis Cleri, cum eos ad Canonicas horas in tempore perſoluendas compellimus, ita ſe nobis excuſare; quòd cum ſæpiſsimè Ruri degant, & rebus ad quotidianum victum neceſſarijs operam dent, nequeunt ad Eccleſias ſtatis ſemper horis remigrare. Sed illos in memoriam ſanctiſsimi Regis Dauid redire cupimus, qui, licet grauiſsimis Regni Curis aſsiduè agitatus, ac preſſus, ſepties tamen in die laudem Deo dicere conſueuit. Ac ſanè *inquirentes Dominum non minuentur omni bono:* Ideoque pſallamus Domino, & innocemus nomen eius.

S. Amb. lib. 7. in Luc.

Pſal. 118. ver. 164. Pſal. 33. verſ. 11.

2 Et quamuis in hac Diœceſi Eccleſia Collegiata nulla ſit, ſed omnes Parochiales, ac Receptiuæ; conſueuerunt tamen illarum Cleri Horarias preces alternim in Choro canere; Miſſas Conuentuales celebrare; aliaſque id genus functiones, quæ in Collegiatis ſeruantur, pro eorum modulo exercere. Quę omnia vt exactè gerantur, ſubiectas ſtatuimus leges, à quouis Clero inuiolabiliter obſeruandas; ſub triginti aureorum pœna, & in Subſidium Eccleſiaſtici Interdicti.

3 In Eccleſijs, vbi octo ad minus adſunt Sacerdotes, omnes canonicę horæ ſtatuto tempore, per hebdomadam, ac duas claſſes, quarum vnius caput ſit Archipresbyter,

alterius

Digitized by Google

alterius verò Cantor, quotidie perſoluantur; ſub pœna ducatorum trium, quoties earum aliqua à Clero omittetur.

4 Feſtis autem diebus ad quamlibet canonicam horam, quot quot ſunt è Clero, etiam Clerici, conuenire debent; ſub pœna carceris per menſem contra vnumquenque.

5 In Eccleſijs verò, in quibus non reperiuntur octo Sacerdotes, ſolis Vigilijs, ac feſtiuis omnibus diebus, quilibet, etiam Clericus, ad horarias preces pſallendas, Choro interſit: ſed diebus alijs ferialibus, pro ſuo quiſque arbitratu, atque animi deuotione, eaſdem horas in Choro cum Socijs decantare, vel recitare poterit.

6 Nullus tamen per ſubſtitutam perſonam ſeruitium ſuæ hebdomadæ explere valeat; niſi legitima de cauſa, à Curato ſemper probanda, & id rarò.

7 Matutinum, Miſſa Conuentualis, & Veſperæ, quolibet die Dominico: nec non reliquis Feſtiuitatibus de pręcepto, ac diebus omnibus Quadrageſimæ, & Aduentus, plano ſaltem cantu perſoluantur.

8 Ad ſingulas canonicas horas conuocari debet Clerus ſolitis Campanæ ſignis, datis qualibet vice pér quartam horæ partem à Sacriſta, vel Hebdomadario Clerico; ſub pœna carceris per menſem.

9 Quilibet in ſuo chori ſtallo modeſtè aſſideat; neque ab eo diſcedat priuſquàm integrum Officium, ſeu Miſſa Conuentualis abſoluta ſit; ſub pœna vnius aurei, Sacriſtiæ vſibus deſtinandi; qui ſtatim à Vicario foraneo exigatur: aliàs foraneus ipſe negligens eadem pœna mulctetur à Parocho, & hic à Cantore. Verùm ſi graui, ac legitima aliqua de cauſa cuipiam è Choro abſcedendum ſit, facultatem hanc ei tantummodò permittere debet is, qui in Choro præſens maiori dignitate præſtat: & qui digreditur, abſoluto negotio, confeſtim in Chorum redeat: ſed præcipuè videat, ne cauſam ſibi fingat abeundi; nam tunc diſtributionum fructus malè parti eſſent, & diuinam vltionem non effugeret.

10 Modeſtiſsimum ſilentium ſeruent omnes, tùm in Eccleſia, ac Choro, tùm in Sacriſtia, dum ad diuina Officia, vel Miſſam parantur; ſub eadem pœna. Quam irrogamus etiam ei, qui ſe ſuperpelliceo induit, vel exuit coram populo, ſiue in altero Eccleſiæ loco, quàm in Sacriſtia; aut, dum diuinum Officium, ſeu Miſſa celebratur, per Eccleſiam ſtultè diuagatur.

11 Quando diuina Officia recitantur, duæ ſaltem Candelæ in Altari maiore ardeant; dùm verò eadem Officia, vel Conuentualis Miſſa ſolemni ritu canitur, quatuor ad minus faculæ colluſtrent.

12 Omnis, qui ad ſacrum Officium recitandum obſtringitur, habeat ordinem Romanum proprium ad rectam Officij recitationem, præter illum, qui in cuiuslibet Parochiæ Choro aſſeruandus eſt, ac publicè proponendus, ad communem Cleri vſum: quemadmodum & Martyrologium, ad Primam quotidie legendum.

13 Clericis, qui tribus continuis vicibus omiſerint ſeruitium ſuæ hebdomadæ, ſtatim mandent Vicarij foranei, vt ad Epiſcopum ſe conferant, qui eis pœnam arbitrio ſuo inferet. Punctatores verò ſingulas eorum omiſsiones diligentiſsimè connotent, ac foraneis referant; vt hi certiorem faciant Epiſcopum; ſub pœna carceris per tres menſes, contra Clericos Contumaces, ac etiam contra Punctatores, & foraneos ipſos oſcitantes, vel nimis indulgentes.

14 Punctatorum quoque intereſt ſingulis annis ad nos mittere libellum eorum punctis connotatum, qui perſonale ſibi competens ſeruitium, ſtatis horis in ſubiecta tabula à Nobis præſcriptis, ritè non adimpleuerint; vt, antequam communis maſſa diſtribuatur, fructuum ratam ab eis Iure amiſſam fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, ſeu alteri pio loco applicemus: ac cognita deinde non parua eorundem contumacia, iuxta Sac. Canonum Conſtitutiones, in illos animaduertere poſsimus.

Trid. ſeſſ. 22. c. 3. de Ref.

15 Ad Punctatores preterea ſpectat in eundem librum referre eorum puncta, qui cum alijs attentè, reuerenter, ac de-

ac debita interpoſita mora, concinere, ex malitia, aut graui negligentia, recuſant: vel ſi, cum diurna officia diligenter ab alijs recitantur, illi curſim, ac præcipitanter verſiculos impellant; ſeu literas aliunde datas; vel quamlibet aliam ſcripturam legant; aut loquantur, rideant, muſsitent, turpiter oſcitentur, incompoſitè ſedeant, dormiant, ſiue ſcandalo, perturbationi, aut aliter impedimento ſint cæteris rectè ſua munia obeuntibus. atque de his ſemper Punctatores certiorem reddant Epiſcopum, vt opportunè proſpiciat.

16 Quòd ſi legitima de cauſa Punctatores à Choro abſint, alios tunc probos Sacerdotes in ſuum locum ſubrogent. Sed ſi quis Punctator in his omnibus accuratè exequendis ſegnior deprehendatur, eum cautè hoc vitio notent Vicarij foranei, vel Cantores, & ad Nos deferant.

17 Diſtributionum verò portionem ſtatuimus eſſe tertiam partem vniuerſorum fructuum cuiuslibet Capituli. atque ita ad vnguem ſeruent omnes Cleri; ſub pœna Eccleſiaſtici Interdicti. Trid. ſeſſ. 21. c. 3. de Ref.

18 Ipſæ etiam quotidianæ Diſtributiones in tres partes ſecernantur: nimirum prima pars pro Matutino, Laudibus, ac Prima: ſecunda pro Tertia, ac reliquis Horis vna cum Miſſa Conuentuali: tertia tandem pro Veſperis, & Completorio. Sac. Congreg. Epiſc. ad Epiſ. Taruiſinũ 27. Auguſti 1585.

19 Quas Diſtributionum partes nemo non inſeruiens tuta conſcientia recipere, etiam ab vltro concedentibus, poteſt. Quare non ſine magna diuini cultus iactura inuenimus à nonnullis Cleris negligentium, ac diuinis non intereſſentium, punctos remitti eiſdem Tranſgreſſoribus; vt remittentibus ipſis deinceps alia eiuſmodi puncta, mutua vice, condonentur. Idcirco nefas ſit omnibus Capitulis aliquam, vel minimam Diſtributionum partem cuipiam perſonale ſuum munus non adimplenti relinquere, remittere, aut quauis alia colluſione largiri: & qui iſtos Diſtributionum punctos conceſſerit; vel qui acceperit; ſuas tunc alias Diſtributiones legitimè factas minimè lucretur, Trid. ſeſſ. 24. c. 12.

nec acceptas retinere; ſed eas illicò reſtituere cogatur; vt fabricæ Eccleſiæ, vel alteri pio loco, arbitrio Noſtro attribuantur.

20 Laudabilis valde eſt, atque adeo ſeruanda Conſtitutio Synodalis bo.mem.Philippi Epiſcopi Cardinalis Spinelli,vt qui in Noſtræ Cathedralis Canonicos cooptantur; ſi Subdiaconi ſint, dimidiam partem maſſæ communis, ac Diſtributionum; ſi Diaconi,integram tantùm partem communis maſſæ,& dimidiam diſtributionum; ſi tandem Sacerdotes erunt, integram vtrorunque fructuum portionem adipiſcantur:dummodo hi omnes diligentiſsimè reſideant.

21 Si quis in Chorum ſe conferat nondum abſolutis quatuor primis Matutini Pſalmis,decernimus illum punctis non eſſe taxandum: at ſi ibidem poſt quartum Pſalmum adueniat, vſque ad Laudes excluſiuè, & Choro interſit, vſque dum Officia diuina abſoluuntur, amittat tantummodo mediam Diſtributionum partem, quæ ad integram illius horæ portionem ſpectat. cæterùm in hac re ſeruetur Conſtitutio Pij V. anno 1571.

22 Quia Sac. Rituum Congregatio nonnullas leges condidit ad rectam diuini Officij celebrationem, operæpretium erit illas ſubiungere.

23 Decreta à Sac. Rituum Congreg., in ordine ad Diuinum Officium, poſt Breuiarij Romani recognitionem, condita.

1 *Conſecrator Eccleſiæ poteſt in actu Conſecrationis ſtatuere alium diem pro Anniuerſaria eiuſdem Conſecrationis. die 19. Februarij 1585.*

2 *Qui ſunt de Gremio alicuius Eccleſiæ debent recitare officium,quod in Choro dicitur, licet morentur alibi. die 8. Septembris 1602.*

3 *Clerici, licet adſcripti alicui Eccleſiæ, & eiuſdem ſeruitio, non tamen obligati Choro, & quicunque alij Clerici ſeculares, Regulareſuè in Ciuitate, vel Diœceſi commorantes, non tenentur*

nentur recitare Officia propria Sanctorum illius Diœceſis, vel quæ de conſuetudine in eadem Eccleſia recitantur in Choro; die 8. Septemb. 1602.

4 *De Sancto, cuius Reliquia inſignis habetur, & approbata, fieri poteſt Officium duplex. die* 23. *Nouembris* 1602. & 8. *Aprilis* 16:8.

5 *De Sancto canonizato non poteſt fieri Officium, extra propriam Eccleſiam, ſine nouo Decreto Sac. Rituum Congreg.* 9. *Decembris* 1628.

6 *Veſperæ Defunctorum pro prima die Menſis dicuntur poſt Veſperas etiam Dominicæ, ſeu Feſti, ſi accidat;* 23. *Maij* 1603.

7 *Pſalmi Graduales, & Pœnitentiales dicuntur licitè, vbi eſt conſuetudo, pridie Veſperi fer.* 4. & 6. *die* 2. *Auguſti* 1603.

8 *Non eſt relinquendum Officium Breuiarij debitum, pro Officio deuotionis;* 29. *Nouembris* 1603.

9 *Dedicationis Feſtum, extra actum eiuſdem, non poteſt mutari ab Epiſcopo; die* 16. *Octobris* 1604.

10 *Si accidat Dedicatio in Natiuitate Beatæ Virginis, fiat de eadem Dedicatione. & cantentur potius duæ Miſſæ, & infra Octauam fiat de Digniori, vt in Rubrica de concurrentia Octauarum; die* 16. *Octobris* 1604.

11 *Epiſcopus Regularis debet recitare Officium iuxta ritum ſuæ Diœceſis, non Regulæ; die* 11. *Iunij* 1605. *Ideo occurrente Feſto Regulæ in Feſto Diœceſis, hoc præferri debet.*

12 *Cappellani Epiſcopi, qui cum eo recitant Officium, ſe conformare debent cum eo;* 11. *Iunij* 1605.

13 *Feſtum Patroni loci celebrari poteſt ſine Octaua à Regularibus, vt cenſuit ſæpius Sac. Rituum Cong.*

14 *Non poteſt Epiſcopus extendere Officium, quod fieri ſolet in Ciuitate, ad Diœceſim; die* 16. *Ianuarij* 1607.

15 *Officium paruum B. Mariæ debet dici in Choro, etiam in Semid. & Dominicis, ſi adſit conſuetudo;* 1. *Septemb.* 1607.

16 *Matutinum Defunctorum in die Commemorationis Omnium fidelium Defunctorum, recitandum eſt mane, & non pridie Veſperi; die* 1. *Septemb.* 1607.

17 *Feſtum ſancti Caroli in Prouincia Mediolanenſi cele-*

brari poteſt ritu duplici; 20. Nouembris 1610.

18 *Feſtum, & Officium S. Conradi, Placentiæ tantùm, & Nettinæ in Sicilia, conceſſa ſunt; die 19. Maij 1614. & Ordini S. Franciſci; 13. Septembris 1625.*

19 *Nomine Feſti nouem Lectionum intelligitur etiam Dominica; die 12. Martij 1618.*

20 *Præter propriæ Eccleſiæ Dedicationem, celebrari quoque debet Anniuerſaria Dedicat. Eccleſiæ Cathedralis, in Ciuitate quidem cum Octaua, in Diœceſi, ſine Octaua, ex Decreto Sac. Rit. Congreg. 2. Maij 1619. erit tamen in Diœceſi quoque primæ claſſis Feſtum, inſtar eorum, quæ transferuntur vltra Octauam, & ſine Octaua celebrantur: vel vti Feſtum Patroni loci, quod celebrari debet à Regularibus, qui tamen non tenentur ad Octauam celebrandam.*

21 *Feſtum ſancti Ioſeph eſt de præcepto vbique; die 8. Maij 1621.*

22 *Feſtum S. Annæ eſt de præcepto vbique; die 23. Aprilis 1626. ex Bullis Gregorij XV.*

23 *Si titulus Eccleſiæ eſt de Cruce, ſufficit commemoratio de Cruce, quæ in Officio feriali dicitur; 30. Martij 1621.*

24 *Liber Eſther aliquando omittitur, ob Feſtum Angeli Cuſtodis; die 9. Nouembris 1622.*

25 *Veſperæ in Sabbato ante Dominicam priuilegiatam, in qua occurrit dies Octaua, dicuntur de feria, ſcilicet Pſalmi Sabbati, & à Cap. fit de Dominica priuilegiata, & in fine fit Commemoratio diei Octauæ, vt in primis Veſperis feſti; die 9. Nouembris 1622.*

26 *In fine Completorij Purificationis B. Mariæ Virginis dicitur, Aue Regina; 27. Iulij 1624.*

27 *Symbolum S. Athanaſij laudabilius recitatur ſtando in Choro; 23. Decembris 1624.*

28 *Officium paruum B. Virginis in Choro, tempore Paſcali, dicitur ſine addito, Alleluia; 28. Martij 1626.*

29 *Litaniæ Maiores ſi occurrant in die Paſchatis, transferuntur in feriam tertiam ſequentem; die 25. Septemb. 1627.*

30 *Officium Stigmatum S. Franciſci conceſſit Paulus V. celebrari*

Digitized by Google

lebrari poſſe vbique ad libitum Cleri; duplici quidem ritu in Religione S. Franciſci, extra eandem ſemid. vt patet ex prima editione Romana, & per Decretum Sac. Rituum Cong. die 28. Auguſti 1615. & rurſus 2. Octobris 1627.

31 *Feſtum Angeli Cuſtodis eſt duplex minus; die 2. Octobris 1627.*

32 *Non potuerunt, neque poſſunt locorum Ordinarij, tam Regulares, quàm Seculares addere Calendarijs, etiam proprijs, Sanctorum Officia, niſi ea dumtaxat, quæ Breuiarij Romani, vel Sac. Rituum Congregationis, ſeu Sedis Apoſtolicæ licentia conceduntur, die 8. Aprilis 1628.*

33 *Item eadem Sac. Rituum Congregatio eadem die, & eodem Decreto, vetuit, & prohibuit celebrari per totam Ciuitatem, vel Diœceſim, etiam de cuiuſque Ordinarij auctoritate, Miſſam, vel Feſtum cum Officio de Sancto, eo quòd in loco ſit Eccleſia Abbatialis, Parochialis, vel Regularis, aut aliqua Reliquia, ſed tantùm in ipſius ſola Eccleſia Titulari; ſeu vbi aſſeruatur inſignis Reliquia, & non alibi. 28. Septemb. 1628.*

34 *Reliquia inſignis eſt Corpus, Caput, Brachium, Crus, & ea pars, non parua tamen, in qua paſſus eſt Martyr; ead. die.*

35 *Eademque die damnata fuere Officia non approbata à Sede Apoſtolica, ſub pœna librorum vetitorum, & non ſatiſfaciendi muneri recitandi diuini Officij, quæ pœna appoſita fuit Decretis ſupra num. 32. 33.*

36 *Moniales in Confiteor nihil mutent, neque dicant, tibi Mater, & vobis Sorores; 18. Auguſti 1629.*

37 *Cappellani Monialium dicant Miſſam de Sancto, de quo Officium fit à Monialibus, ſed cum Miſſali Romano; 20. Nouembris 1628.*

24 Concluſiones, & Regulę nonnullę ex Commentarijs P. Bartholomęi Gauanti in Rubricas Breuiarij Romani ſelectę.

1 N*On poteſt fieri mutatio Ritus, vt ſcilicet duplici ritu celebretur Feſtum, quod aliàs ſimplici ſub ritu, vel ſemidu-*

ſemiduplici, decretum eſt; Pius enim V. in Bulla Breuiarij non modo præcipit ſubſtantiam, ſed etiam modum, & formam Horarum canonicarum.

2 *De Sancto, cuius Reliquia non inſignis habetur, ſi concedatur Officium, debet eſſe ſemiduplex, ad differentiam inſignis Reliquiæ.*

3 *Feriale Officium Domini, Officium eſt, quod à quocunque ſeruo non debet obrui: & ideo videant Epiſcopi ne pluralitate Feſtorum fiat iniuria Officio Feriali Domini Dei noſtri.*

4 *Officium Dominicæ eſt valde venerandum, eſt enim Officium primarium Domini, & ideo non prætermittendum, niſi ob Feſtum duplex, & dummodo non ſint Dominicæ Priuilegiatæ vt Aduentus, Quadrageſimæ, &c. Et eſt tam celebre Officium Dominicæ, quòd ſemper de eo ſaltem fit commemoratio, ſi minus Officium fieri queat, ob Feſtum duplex.*

5 *Omnes dies Octauæ pro vna feſtiuitate computantur, & ideo appellat Radulphus Octauam, Prorogationem Feſti, ex quo ſequitur, quòd eo nobilior eſt Octaua, quo minus interrupta à Feſtis aliorum.*

6 *Octaua Dedicationis propriæ Eccleſiæ eſt maior, quàm Octaua Patroni loci, ſeu tituli Eccleſiæ: Dignior verò eſt Octaua B. Virg. Aſſumptæ, quàm Octaua Dedicationis.*

7 *Primæ Veſperæ ſecundis ſunt Nobiliores.*

8 *Fit Commemoratio de Semid. ante commemorationem diei infra Octauam, quia Semid. eſt Feſtum, dies verò infra Octauam non eſt Feſtum, ſed continuatio Feſti.*

9 *Tam de Patrono loci, quàm de Titulari Eccleſiæ, fit Officium duplex, vt de duplici primæ claſſis. Item fit Octaua de vtroque, quæcunque dantur duplici primæ claſſis, & Octauis, eadem concedenda ſunt Patrono principali loci, in loco ſuo, & Titulari in Eccleſia ſua.*

10 *Si Patroni plures, ſeu Titulares conceduntur; Officium quidem ſingulorum duplex erit, vt dicitur in Rub. de Officio dupl. num.* 1. *Sed Octaua non conceditur ex Rub. Breu. de Octauis num.* 1. *niſi feſto principalis Patroni, & principalis item Titularis Eccleſiæ: immò neque primæ claſſis Feſtum erit, niſi ſit ſo-*

lemne

Digitized by Google

lemne principale Feſtum principalis Patroni, aut tituli Eccleſiæ, vt apertè habetur in Rub. de Commem. num. 3. & 4. quale non eſt Patroni tranſlatio, nec Feſta ſimilia.

11 *Tanta eſt ſolemnitas Patroni loci, vt ſi incidat in Vigilia, quæ ſit in Calendario, cum Ieiunio de præcepto, nihil in Officio fiat de Vigilia, quæ mæſtitiam infert: in menſa tamen ieiunandum erit, niſi transferatur in præcedentem diem Ieiunium ipſum, auctoritate maiorum.*

12 *In Vigilia Patroni omittitur Suffragium commune de Patrono, quod fit per annum.*

13 *Si tranſlatio alicuius Feſti fiat à tempore Paſchali ad tempus non Paſchale, recitandum erit Officium tempore non Paſchali, quod accidit in translatione aliquorum Sanctorum Martyrum menſe Maij.*

14 *Si occurrant duo Feſta ſub vna ratione Feſti in Calendario Romani Breu. quorum tamen alterum eſt Feſtum Patroni, ſeu tituli Eccleſiæ, verbi gratia, Feſtum S. Sebaſtiani, cui cum S. Fabiano fit ordinariè Feſtum, eo caſu fit de Patrono, ſeu Titulari tantùm, hoc eſt, de S. Sebaſtiano ſolo, vti Feſto primæ claſſis, non autem de Socio, eo die. Qui verò hac de cauſa in eorum proprio die omittuntur, vel ſunt in Calendario ſub Ritu dupl. vel ſemidupl. & tunc prima die ſimiliter non impedita fit Officium de omiſſis ſub ritu ſemiduplici, puta in exemplo allato, fiet de S. Fabiano ritu ſemiduplici poſt Octauam: vel ſunt ſub ritu ſimplici, & tunc in Eccleſia nihil fit de Socijs omiſſis. Quòd ſi ij, qui diuiduntur, ſunt altioris ordinis, & claſſis, vt in Eccleſia S. Philippi Apoſtoli, de quo ſolo fit, vt de Feſto primæ claſſis, eo caſu prima die non impedita fit Officium de Tranſlato S. Iacobo ſub ritu dupl. 2. claſſis, quia eſt de duodecim Apoſtolis, & die 4. Maij in Laudibus tantùm fiet Commem. cum 9. Lect. S. Monicæ.*

15 *Porro prædicta ſeparatione facta Patroni, ſeu Titularis à Socijs, quos illi habent in Calendario Rom. curandum erit, vt Oratio, Lectiones, & Euangelium cum Homilia congruant cum Feſto, ita vt pro vno, non pro pluribus, Officium fiat; & deficientibus proprijs erit ad commune Sanctorum recurrendum;*

reſerua-

reſeruata Patrono potius Oratione, quàm Socijs, & in numero ſingulari accomodata; pro Socijs autem ſumatur de Communi, vt ſit varietas; niſi fortè contingat de Socijs Officium fieri extra Octauam Patroni, ſeu Tituli, quo caſu variandi neceſſitas minimè vrget.

16 *Titulus Altaris, ſeu Cappellæ, celebrandus eſt ſub ritu, prout in Calendario Romano deſcribitur. In quo ſi neque nominatur, ad illud Altare celebrari poterunt Miſſæ feſtiuæ, cum Hymno Angelico; ſed Officium nullatenus fiat ſine licentia maiorum, ad quos attinet Officia mutare.*

17 *Si Altare titulus eſt Beneficij; Beneficiatus adhuc non debet Officium recitare de eo, vt de Feſto primæ claſſis, neque alio ritu, quàm in Calendario ſit deſcriptus, & eo ibidem non deſcripto, non poteſt propria auctoritate de eo recitare Officium; ſi verò titulus eſt Eccleſię dirutę ad illud Altare translatę, ille, qui emolumenta prædictę Eccleſię percipit, ęquum eſt, vt recitet Officium de eo in eius Feſto, ne depereat cultus illius Titularis Eccleſię, & ritus erit ſemiduplex, niſi dignitas eiuſdem aliud expoſcat; ſed in his caſibus conſulatur. Sac. Rit. Cong.*

18 *Beneficiatus quilibet habens Eccleſiam, quę eſt titulus Beneficij, licet apud eam non reſideat, debet tamen Feſtum eiuſdem colere, vt primę claſſis, & cum Octaua celebrare, quia eſt Feſtum tituli Eccleſię.*

19 *Veſperę defunctorum cum Matutinis, & Laudibus debent dici, & perſolui ex pręcepto ab ijs, qui tenentur recitare diuinum Officium in die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum, cum ſit pars diuini Officij eo die pręſcripti: & cum ſit pars notabilis, ad reſtitutionem fructuum tenetur Beneficiatus ad ratam Veſperarum, vel Matutini, vel vtriuſque, ſi totum prętermiſit Officium Defunctorum.*

20 *Quando ſit Officium plurium Confeſſorum, ſiue Pontificum, ſiue non Pontificum, datur facultas mutandi verba, tum in Oratione, tum in Sermonibus, vt ſonent numerum pluralem: non tamen in ſermone S. Gregorij ex lib. Moral. Deridetur Iuſti ſimplicitas; quia non eſt propriè Sermo de Sancto, ſed tractatus, & expoſitio lib. Iob: in Antiph. Reſponſ. Hymn. & Ho-*

Digitized by Google

& Homil. nulla ſit mutatio; licet non quadrent pluribus, quia nimia eſſet mutatio; & perdifficilis, vt congruat in omnibus.

25 Ad ſtatuendum poſtremò opportunum tempus, quo canonicæ horæ perſoluantur, iuxta Sac. Cong. Decretum, ſubiectam Tabulam omnino ſeruandam confecimus. Sac. Congreg. Epiſc. pro Eccleſia Aretina 30. Martij 1599.

TABVLA PERPETVA HORARVM CANONICARVM.

Matutini, Laudum, ac Primæ continuatè recitandæ.	*Tertiæ, Sextæ, Nonæ, ac Miſſę Conuentualis ſimul celebrandę.*	*Veſperarum, & Completorij iunctim pſallendi.*
Ianuarij hora 14	hora 16	hora 20
Februarij hora 13	hora 15 ÷	hora 20
Martij hora 12	hora 14 ÷	hora 19
Aprilis hora 11	hora 13 ÷	hora 18 ÷
Maij hora 9 ÷	hora 12	hora 18 ÷
Iunij hora 8 ÷	hora 10 ÷	hora 18
Iulij hora 9 ÷	hora 11	hora 18
Auguſti hora 10	hora 11 ÷	hora 18 ÷
Septemb. hora 10 ÷	hora 13	hora 19
Octobris hora 12	hora 14	hora 19 ÷
Nouemb. hora 13 ÷	hora 15 ÷	hora 19 ÷
Decemb. hora 14 ÷	hora 16 ÷	hora 20

SESSIO SECVNDA.

De Sacramentis.

1 Tenebras eſſe peccati Symbolum præclarè nobis ſacræ Litteræ demonſtrarunt; nam *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* Iſa. cap. 9. verſ. 2. Verùm diuinam hanc lucem cæcis mortalibus exortam fulgentiſſimum Sacramentorum lumen eſſe non obſcurè Zacharias indicat verbis illis: *Vidi, & ecce Cande-* Zach. cap. 4. verſ. 2.

Candelabrum aureum totum, & lampas eius ſuper caput ipſius, & ſeptem lucernę eius ſuper illud; & ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput eius. Decet ergo, vt meritò filij tantę lucis ſimus, puriſſimo ſemper animo, ac nitidiſſimo corporis cultu, diuina Sacramenta tractari, ſuſcipi, atque alijs adminiſtrari.

De Sacramentis in genere. Cap. I.

2 NOn pauca ſunt, quæ ad exactam Sacramentorum adminiſtrationem concurrere debent; quæ omnia diſertè, ac minutim in nouo Rituali Romano elucidantur; quocirca ijs Parochi diligentiſsimè ſtudeant, & ſingula in praxim redigant. Ac formas præcipuè omnium Sacramentorum ibidem præſcriptas addiſcant; illaſque firmiter memoria contineant; eiſdemque incorruptè ſemper vtantur non ſolùm Curati ipſi, ſed & reliqui etiam Sacerdotes; quos Sacramentorum eorundem formas optimè callere oportet.

3 Intelligant etiam Parochi ſe minimè eximi à proprio munere, & cura Animarum gerenda, quoniam certis alijs Sacerdotibus, velut eorum Coadiutoribus, Sacramentorum miniſterium à Nobis commiſſum eſt; cum nihilominus onus omne Parochorum humeris impoſitum ſit: quocirca hi non vacuo, & otioſo animo eſſe debent.

4 Qua de re, niſi legitimè impediantur Curati, cuncta Sacramenta per ſe ipſos ſtudioſè adminiſtrare tenentur. & ornamentis, ac veſtibus, quæ vniuſcuiuſque Sacramenti miniſterium decent, non ſordidis, vel abſciſſis, ſed nitidè compoſitis, atque integris continuò vtantur.

5 Et quamuis, vt ſuo officio fungantur, à nemine ſint acceſſiti; interdiu tamen, noctuque, neceſſitate expoſcente, ex ſe ſe paratiſſimi eſſe debent ad vnumquodque Sacramentum ritè miniſtrandum. Ac ſua intereſt quemlibet ſedulò indagare, qui huiuſmodi neceſſitate prematur.

6 Non verbis tamen, nec nutu, neque alio artificio,

pro

pro Sacramentorum adminiſtratione, quicquam, vel minimum, aucupari, vel recipere poſſunt: at, quod nonnullis in locis ex honeſta, laudabilique conſuetudine dari conſueuit, non eos reijcere oportet; dummodo nulla turpis lucri ſuſpicio fidelium animos propulſate valeat. quocirca expeditè ſemper, & abſque callida auaritiæ arte Sacramenta ſingula conferantur.

7 Attamen illa (ſi infirmitatis, vel alterius neceſſitatis caſus eximas) non alibi, quàm in proprijs Parochijs, adminiſtranda ſunt; & à ſolis Curatis, vel ab alijs Sacerdotibus, quibus ſpecialis hæc facultas à nobis impertita eſt, ac nullatenus reuocata. dummodo hi etiam in ſuis tantùm Eccleſijs, ac Terris, & in nullo alio Diœceſis loco, ſine peculiari Noſtra; vel ſaltem Parochi alterius loci licentia, hoc munere fungantur.

8 Qui ad Cathedralem Eccleſiam conueniunt, vt ſacra Olea in Diœceſis Parochias deferant, Sacerdotes omnino ſint, morum integritate conſpicui; & Parochorum ipſa ſacra olea expoſcentium Epiſtolam dent noſtro Archidiacono, qui ea circunſpectè diſpenſet. nec Sabbatum ſanctum elabatur, quin Curati omnes pro re hac Sacerdotes miſerint; ſub pœna decem librarum Ceræ.

9 Cum aliquis ad Sacramentum Confirmationis, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, ac Matrimonij accedit, nullo modo armatus, ſeu inuerecundo veſtitu, aut chirothecis ornatus appareat. quod vitent etiam Patrini in vtroque Sacramento Baptiſmi, & Confirmationis.

De Baptiſmo. Cap. II.

1 IVre optimo à Sanctis Patribus vocatur Baptiſma, *ſplendor Animarum, vita in melius commutatio, carnis abiectio, peccati diluuium, tenebrarum depulſio, & lucis communicatio:* illo enim originalis culpæ macula diluitur, mitigatur fomes, gratia comparatur, atque in Dei filios S. Greg. Nazianz. orat. de Bapt.

lios adoptamur, qui prius iræ filij naſcebamur. Studeant igitur Parochi, vt Baptiſmi ſanctitas non niſi ſanctè tractetur. Ideoque Sacerdos baptizans non ſolùm omni lethali culpa careat; ſed ſumma etiam animi deuotione, ac pietate tam ſacrum munus exerceat: præſertim verba omnia Formæ clarè, diſtinctè, grauiter, & religiosè; non confuſè, ruditer, & curſim proferat.

2 Quamobrem non profana ethnicorum nomina, non ridicula, aut fabuloſa, nec deformia imponant; ſed Sanctorum tantùm; vt hi, quorum paruuli inſigniuntur nominibus, continuum illorum ſuſcipiant patrocinium.

3 Super Infantes Baptizandos nil, quod ſuperſtitioſo vſui eſſe poſſit, ponatur ab Obſtetricibus, nec ab alijs.

4 Candelæ, & Sal benedictum, linteolum, vel goſſipium, quo ſacrum Chriſma abſtergitur, nemini reſtituantur; ſed vel in vaſe deſignato remaneant, vel in Sacrarium deijciantur eorum cineres, ſtatim ac ſingula cremata fuerint.

5 Cuilibet Vaſi oleorum ſacrorum ſua inſcriptio inſculpatur, vt vnum ab altero apertè ſecernatur, & facilè pateat. Titulus etiam grandioribus literis exaratus extra locum, vbi eadem Olea decenter adſunt, imponendus eſt.

6 Curati ſingulis menſibus aquam baptiſmalem ab Oleis, alijſque ſordibus expurgent, immunditias crement, ac cineres in Sacrarium demergant.

7 Eandem etiam aquam infallibiliter renouent Sabbato ſancto, ac Sabbato Vigilia Pentecoſtes.

8 Eiſdem Parochis maximæ curæ ſit, ne paruuli ſuffocentur (quod ſæpè ſæpius, non ſine vehementi animi commotione, eueniſſe reſciuimus) vt hi, anno nondum elapſo, nullo modo extra aptas Cunas, intra cubile, locentur. Quod vt cautiùs ſeruetur, onus imponimus cuilibet Sacerdoti baptizanti, vt, ſtatim ac in ſolito libro, formula à Rituali præſcripta, adnotauerit Baptizati nomen, ſe ſe conferat in domum Puerperæ, ibique eam mortalis periculi admoneat, ſi puerulum non in Cuna, ſed penes ſe accubare velit: ex quo ſi Infantuli mors ſequatur; nos

matrem

Digitized by Google

matrem Anathematis gladio percutimus; ac Sacerdotem baptizantem, qui præmonitionem hanc omiſerit, ab adminiſtrando Baptiſmate ſuſpendendum eſſe volumus.

9 Inuigilent quoque Curati, quemadmodum & Infantium Parentes, ne illorum Baptiſmus vltra Octauum diem protrahatur. Baptiſma verò non alibi quàm in Eccleſia, ſuis adhibitis ſolemnitatibus, conferendum eſt.

10 At ſi neceſsitas aliqua oriatur, ſcilicet periculum mortis Infantuli, tunc domi rectè is à quolibet baptizari poterit: ita tamen, vt ſi ibi Eccleſiaſtica perſona adſit, hæc Laicis, vir fœminæ, & quiuis dignior minus digno præferatur: dummodo honeſtatis cauſa, ob partum nondum editum, fœmina viro præponenda ſit.

11 Tum etenim, ſi neceſsitas vrgeat, Obſtetrix ipſa, nulla interiecta mora, puerulum baptizare valet; ſed cautè attendat, vt eodem tempore verba Formæ proferat, & aquam effundat, quæ Cutem capitis abluat: idque animo efficere proponat, quod Eccleſia intendit.

12 Si verò Infantuli caput nondum è materno Alueo emerſum ab ea dilutum non ſit, ſed alia Corporis pars iàm exerta; & deinceps integrum corpus, vel ſaltem caput egrediatur, & periculum mortis non ceſſet; tunc caput ipſum, mentali ſub conditione, ſi non es baptizatus, &c. baptizetur; quùm adhuc in diſcrimine verſentur contrariæ Doctorum opiniones, num Baptiſma alteri membro, quàm capiti collatum, valeat.

13 Et intelligant omnes in hoc Baptiſmo domi peracto contrahi ſpiritualem Cognationem inter perſonas à Tridentino Concilio deſignatas, non autem in cærimonijs, quæ poſtea in Eccleſia celebrantur: nimirum Inſufflatio, Exorciſmus, Vnctio: Materia, & Forma Baptiſmi duntaxat omiſsis. Parochi etiam intereſt in omni Baptiſmo domi adhibito diligenter inueſtigare, num vera Materia, & Forma Baptizans vſus fuerit: & ſi interdum varia, ac dubia res ſit, an Infantulus ritè, & rectè baptizatus exiſtat, planè tunc expedit, cum mentali ſub conditione, vt ſupra innuimus,

Seſſ. 24. c. 2. de Ref.

mus, baptizari: Atque eadem penitùs forma ſeruetur circa Baptiſmum Infantium Expoſitorum; quoties ille ambiguus habetur.

14 Quiuis Religioſus, excommunicatus, & publicus Peccator, nequaquam idoneus Patrinus in hoc Sacramento eſſe poteſt. Non decet etiam eum, qui in pubertatis ætate non eſt; quique Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, præcepta Decalogi, atque Eccleſiæ, ignorat, idem Patrini munus gerere. Quocirca Parochi, vel alij Sacerdotes, qui Puerulum aqua intingunt, de his Patrinos rudes examinare tenentur.

15 Ad Curatos prætereà ſpectat Baptiſmi Formam rectè edocere Obſtetrices, vt illam non præpoſteram, & immutatam; non diminutam, aut auctam (vt alicubi, non ſine ingenti dolore, reperimus); ſed incorruptam, atque integram, diſtinctè, attentè, ac religioſè proferant. Ac ne Obſtetrices; cæteræq. rudes perſonæ latini ſermonis ignorantia implicentur, hanc eas vernaculæ linguæ Formam addiſcere expedit.

Io ti battezzo in Nome del Padre, & del Figliolo, & dello Spirito Santo.

16 Baptizatorum liber in Sacriſtiæ Arcula, vna cum alijs libris (vt infra ſtatutum eſt in titulo de Archipresbyteris, & Parochis) occludendus eſt; nec ab ea vnquam amoueatur; nec Laicis mutuetur, vt corruptè hucuſque à nonnullis vſitatum eſt: quùm experientia compertum ſit, librum hunc aliquando omiſſum, aut deprauatum eſſe; nonnunquam etiam peruerſo alteri vſui deſeruiſſe. Quam ob cauſſam Parochis acriter inhibemus, ſine Epiſcopi iuſſu, ac baptizati, eiuſq. Parentum voluntate, fidem ætatis ſcribere, & atteſtari.

De

De Confirmatione. Cap. III.

1 ATHletas ſuos per lauacrum regenerationis in ſortem adoptionis filiorum Dei relatos, vt tanquam Gigantes ad tutò currendã mortalis peregrinationis viam, & ſtrenuè cum Satana certandum, fortiter muniret Dominus, eos inungere voluit Oleo exultationis, dum Chriſma Sacroſanctum inſtituit.

2 Ne igitur Chriſtianæ militiæ Tyrones vlla in veræ fidei profeſſione rudimenta poſuiſſe videantur, ad Confirmationem ſuſcipiendam nullo pacto accedant, niſi è ſexto ætatis anno exceſſerint, & fidei ſint præceptis imbuti.

3 Quæ fidei noſtræ rudimenta probè etiam didiciſſe, ac Confirmatos eſse, nec Cenſuris irretitos, neque in notorio peccato manere oportet eos, qui Patrini munus obeunt in hoc Sacramento; vt, ſi opus ſit, Pueros à ſe ſuſceptos iiſdem fidei Tyrocinijs inſtruere queant.

4 Porrò honeſtati minimè conuenit, vt maſculi fœminis Patrini, ac fœminæ maſculis Matrinæ ſint.

5 In Oppidulis vnum, & in amplioribus locis duos ad ſummùm præſentare poteſt Patrinus, à quo officio longiſſimè arcetur Pater, ac mater, maritus, atque vxor; ſicut etiam & quiuis Regularis. Cap. nõ licet. cap. monachi de cõſec d. 4.

6 Certa res eſt hoc Sacramento ſpiritualem cognationem iniri, quæ matrimonium contrahendum impedit, ac dirimit iam contractum; quæque inter ſuſcipientem tantùm, ac ſuſceptum, eiusq. patrem, ac matrem intercedit. Trid ſeſſ. 24. c. 2. de Ref.

7 Si adultus confirmari velit, omni prius diligentia adhibita inueſtiget, num aliàs Confirmationem ſuſceperit: Inque hoc etiam ſedulò incumbant Curati, vt reiterati Sacramenti ſacrilegium abſit.

8 Enitantur quoque Parochi, vt iidem adulti ſua peccata confiteantur, vel ea contriti ſaltem doleant, priuſquàm ſacro Chriſmate liniantur.

9 Edicto tandem noſtro planiſſimè conſtat, Curati officio cònſentaneum eſſe; vt, antequàm Nos Confirmationis Sacramentum adminiſtremus, omnium, quæ ſupra retulimus, populos commonefaciant; ne inertes à Nobis inueniantur.

De Sacramento Pœnitentiæ. Cap. IV.

1 SVmma lætitia nos afficit grauiſſimum Ezechielis teſtimonium: *Impietas* (nimirum) *impij non nocebit ei, in quacunque die conuerſus fuerit ab impietate ſua:* non enim nos fugit ſepties in die Iuſtum cadere; at ſi fragilis naturę conditio in culpas continuò diffluit, cur *homo diuitias diuinæ bonitatis, & longanimitatis contemnis, ignorans quòd Dei benignitas ad pœnitentiam te adducit?* Feſtina potius ad Dei Oſtium, & pulſa, vt pulſanti miſericordiæ Ianua aperiatur, & Cœlorum aditus pateſiat.

c. 33. verſ. 12.

2 Licet enim Eccleſiæ præcepto, vt ſatisfaciant omnes, neceſſe ſit peccata ſua, ſemel in anno, proprio Parocho confiteri; vehementer tamen à Curatis monendi ſunt populi, vt ſalutari hoc Sacramento ſe ad minus communiant natali die Domini, Paſchate, Aſcenſione, Pentecoſte, Feſto Corporis Chriſti; Natiuitate, Annunciatione, & Aſſumptione B. Virginis; Celebritate SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli; ac Feſtiuo die Omnium Sanctorum.

Cap. Omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.

3 Quamobrem hiſce ſolemnitatibus, & earum Vigilijs; nec non ſingulis primis, ac tertijs Dominicis menſium, Confeſſarij omnes ſuis ſedibus per duas ſaltem horas aſſiſtant; ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus; ne paruuli petant panem, & non ſit, qui frangat eis; vt ſæpenumerò eueniſſe, populorum omnium voce ad nos perlatum eſt.

4 Id verò ita locum habeat, vt vbi Confeſſariorum ſex, vel quinque erunt; tres ſaltem eorum in hebdomada,

per

per turnum, præfatis diebus Confeſſionibus operam dent: vbi autem quatuor, vel tres ſolummodo Confeſſarij reperiuntur, duo eorum aſſiſtant: & vbi duo ſoli aderunt, alter eorum huic muneri ſatisfaciat: Atque hi eo tempore immunes à ſeruitio chori exiſtant.

5 Ijdem Confeſſarij in Maiori Hebdomada, quando pergraui diuinorum Officiorum celebratione diſtrahuntur, eorum Confeſſiones non audiant, qui ſemel tantùm eo anni tempore Conſcientiam expiare conſueuerunt; ſed illorum peccata, non niſi elapſis tribus Dominicæ Reſurrectionis feſtis diebus, auſcultent; & interim eiſdem imponant, vt cibis Paſchalibus minimè veſcantur; cum, ob diuturnam ipſorum in vitijs oblectationem, & cordis duritiam, nequaquam Dominicę Reſurrectionis gaudijs exultare mereantur.

6 Alienæ Diœceſis Pœnitentis Confeſſionem nullus admittat à quarta Quadrageſimæ Dominica, quando hoc ſacramentum frequentari incipit, per totam Octauam Paſchæ; niſi legitima aliqua de cauſa nobis exponenda: cum ſæpiſſimè accidat nonnullos tunc ex induſtria, promeriti rigoris declinandi gratia, ſe à proprijs Ordinarijs ſubtrahentes, ad alienos Confeſſarios confugere; vt ab alibi reſeruatis abſoluantur: quam abſolutionem noſtri Confeſſarij eis non impendant; licet caſus alteri Ordinario reſeruati ijdem cum noſtris eſſent, nobis inconſultis.

7 Confeſſiones verò Peregrinorum; vel eius exteri, qui domicilium in proprio Confeſſarij loco elegerit; aut alicuius Domini ſeruitio mancipatus ſit, nullo modo à ſe reijciant Confeſſarij.

8 Caueant Confeſſarij ab iniungendis pœnitentijs eleemoſynarum, ſeu celebrationis miſſarum, quæ ſibi attribuantur. Et ſi quas eleemoſynas imponunt, eas ab ipſiſmet Pœnitentibus, pauperibus, vel pijs domibus, ſeu certis miſericordiæ operibus, vbi nullum Confeſſarij emolumentum ſentiant, mandent, vt piè erogentur.

9 Vbi verò aliquid reſtituendum eſt, id penes ſe haud-

F 3 quaquam

quaquam ſumat Confeſſarius; ſed per alium adimpleri curet: ita tamen, vt hoc modo Pœnitentes ipſi minimè detegantur. quòd ſi à Pœnitente per Confeſſarij manus prudenter reſtituendum ſit, is quantocyus, ac fideliter omnia reddat.

10 Efficiant Parochi, vt ſedes Confeſſionales, ad præſcriptum noſtræ Viſitationis, aptentur in publicis, apertisq. Eccleſiæ locis: vbi ſolummodò, & non in Choro, vel altero Sacriſtiæ loco; in quo Sacerdotes tantùm confiteri poterunt, ſecularium Confeſſiones fiant.

11 Confeſſarij ſuperpelliceis, & ſtolis ſemper induti ſint, dum officium hoc præſtant: nec, dum ſacris veſtibus ad miſſam parati ſunt, aliorum peccata audire; vel ſua confiteri, eis conuenit.

12 Ante Solis ortum, vel poſt illius occaſum, tale munus gerere; niſi alicuius perſonæ neceſſitas vrgeat, omnibus inhibemus.

13 Cum, aduerſæ valetudinis cauſa, Confeſſionem alicuius mulieris domi audire cogitur Confeſsarius, Ianuis ita apertis id peragat, vt à Domeſticis facilè conſpici poſſit.

14 A Paſtoribus, & Syluarum Incolis; alijsq. impolitis hominibus, priuſquàm hi perpetrata ſcelera confiteantur, pronunciare ſaltem faciant Confeſsarij Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, ac Symbolum fidei: quæ ſi ab eis ignorentur, & alioquin prouecti ætate ſint, abſoluendi non erunt; niſi certò promittant ſe qualibet hebdomada, per integrum annum, ſemel ſaltem acceſsuros ad audiendam miſsam Auroræ in Parochia, vbi ſemper illa à celebrante accuratè proferuntur; vt ab omnibus facilè memoriæ mandari poſſint, eaq. firmiter retineri. Niſi quis tàm ſenex, vel hebeti ingenio ſit, vt hæc memoriæ tradere nequeat: tunc enim præceptorum ſaltem ſubſtantiam eos probè percipere, ac credere ſatis erit.

15 Antequàm Pœnitens de peccatis confiteri incipiat, diligenter percipiant Confeſsarij, num ille in ipſo-

rum

rum Iuriſdictione ſit; num præmeditatus ſatis conſcientiam examinauerit; num verè ſua ſcelera deteſtetur; & re ipſa ab ijs in poſterùm abſtinere proponat; ac pariter omnem proximam peccandi occaſionem certè declinare velit; num excommunicatione irretitus, vel crimine aliquo pollutus ſit, quod Apoſtolicæ Sedi, aut Epiſcopi auctoritati reſeruatum fuerit: namque his caſibus Pœnitentem ampliùs audire non debent; ſed eum humaniter dimittentes inſtruant, atque hortentur, vt ſalutare ſuæ animæ remedium exquirat.

16 Quandocunque nullum ex enarratis impedimentis obſtare intelliget Confeſsarius, omnem à Pœnitentibus animi commotionem, atque caliginem diſpellat; eosq. conſtantiſſima ſpe conſequendæ à Deo veniæ prudenter erigat: moxq. ad ſuas culpas humiliter accuſandas inducat: ac, vbi opus erit, opportunis interrogationibus excitet, dirigatq. ad quamlibet commiſſi erroris circumſtantiam propalandam, quæ peccati naturam immutat. Ita tamen, vt pueris, puellis, cæterisq. rudibus ea nullatenus inſinuentur, quæ ipſos omnimodè latent. Quemadmodum indecorum, immo & irreligioſum aliquando eſt, vanis, atque inutilibus percunctationibus homines in Confeſſione detinere, ſeu potius defatigare, ac ſcandalo afficere; dum hi animorum vulnera abſtergere cupiunt. Quibus vt altiùs mederi valeat Confeſſarius, quantumuis grauia, ac deformia illa ſint, nullum admirationis, ſeu horroris ſignum oſtendat: nec reprehenſione vtatur, niſi poſt integram iam auſcultatam Confeſſionem; & tunc vinum, & oleum Samaritani plagis infundat.

17 Perpendant quoque Confeſſarij, an interdum anteacta Confeſſio iteranda ſit: nempe quòd Pœnitens aliquo ex ſupra allatis impedimentis implicatus erat: vel inſuper, quia Excommunicato, aut non approbato, ſiue à munere audiendæ Confeſſionis ſuſpenſo Sacerdoti confeſſus eſt: vel ſi lethalis nonnullius ſibi conſcius culpæ, aut Circumſtantię neceſſariò aperiẽdę, illas data opera, ob ſtul- Dec. 15.

 tam

tam verecundiam, turpem hypocriſim, ſeu malitiam omiſerit: vel tandem, ſi eiſdem de cauſis, dolo malo Confeſſionem diuidendo, partem vnam ſuorum delictorum vni, & alteram alteri Confeſſario aperuerit.

18 Sæpe etiam abſolutionem aliquibus negare, vel ſaltem differre omninò expedit; quamuis eius impendendæ abſolutiſſimam facultatem habeat Confeſſarius. ij verò ſunt.

19 Scelerosi ſæpè ſæpius in eadem peccata facillimè recidentes; niſi adhibitis à Confeſſario æternæ ſalutis remedijs vſi iam fuerint, & exploratam reſipiſcendi ſpem dederint.

20 Concubinarij, Sodomitæ, & quiuis publicus impudicus; priuſquàm à ſcortis, & domeſtica qualibet peccandi conſuetudine non receſſerint: præcipuè ſi pluries promiſſa fecerint, nec ſteterint conuentis.

Seſſ. ead. c. 11 dec. 19. 21 Viri ab Vxoribus, & hæ ab illis, vt inferiùs etiam ſtatuemus; varij tantùm, multiplicisq. ingenij cauſſa ſeorſum habitantes; quouſque ſimul conuiuant, ac pacem ſeruent.

22 Inimicitiam, Iniuriam, aut vindictam non condonantes: vel eas alicui remiſiſſe aſſerentes; illumq. tamen alloqui renuentes; donec re vera ad colloquium, congreſſumq. veniant, ac ſcandala dirimant.

23 In Iudicio mendax Teſtimonium, quod detrimentum alteri importet, dicentes; niſi priùs damna reſarciantur.

24 Exiſtimationem alterius, ſeu vitam verbis, vel factis offendentes; detrimento, pro viribus, nondum ſarto, & tecto.

25 Fœneratores, & ſtipulationes, ſeu pactiones iniquas contrahentes; donec iacturam cum lucro compenſent.

26 Aliena bona iniuſtè retinentes, aut quoquomodo occupantes; dum ea liberè, quantum præſtare poſſunt, non reſtituunt.

27 Lite-

27 Literis monitorialibus pro rebus deperditis, aut damnis alijs acceptis, à Sede Apoſtolica, vel à noſtra Curia, reuelandi cauſa, impetratis non obtemperantes: ſeu illas quouis pacto, & earum receptionem, publicationem, & executionem iniquè impedientes; priuſquàm tantum effecerint, quantum conſequi viribus poſſunt.

28 Alia ſimiliter non pauca flagitia reperiuntur, quorum Reos Confeſſarij nequaquam abſoluere poterunt: Videlicet

29 A reſeruatis Papæ, & Ordinarijs locorum. Et Abſoluentes ſunt ipſo facto excommunicati; reſeruata Papæ abſolutione; priuantur officijs, beneficijs &c. inhabiles fiunt &c. Confeſsiones pariter nullæ ſunt. Sac. Congr. Epiſc. 9. Ian. 1601.

30 A ſententijs latis ab homine Confeſſarius abſoluere nequit. Leo x. ann. 1518.

31 Promulgato ab Ordinarijs Iubileo, excommunicati ab homine, ſi Parti ſatisfecerint, abſolui poſſunt; & communicare in diuinis; Iubilei duntaxat conſequendi gratia: ſed deinceps in eandem excommunicationem reincidunt; donec ad Iudicem confugientes abſoluantur: quod diligenter aduertendũ eſt à Parochis, & Confeſſarijs. Pius V. ann. 1568. declar. perpetua pro Iubileis.

32 Permiſsa pariter in Iubileis facultate abſoluendi à reſeruatis in Bulla Cœnæ, eximitur crimen Hæreſis, quod Confeſsarij relaxare nequeunt. Ita communiter DD.

33 Suſpectus de Hæreſi eſt, qui obdurato animo Cenſuris implicitus, in illis per annum inſorduerit. Quare de hoc conſulendus ſemper eſt Ordinarius. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de Ref.

34 Quibus generalis eſt facultas abſoluendi à reſeruatis, non idcirco licet abſolutionem impendere in Abortu animati fœtus procurato, &iam ſequuto; niſi à locorum Ordinarijs fuerint ſpecialiter deputati. Concil. Prouinc. Mediolaneñ. 7. ex Gregorio xiv.

35 Gaudentes in Italia Priuilegijs abſoluendi à reſeruatis Papæ; vt ſunt nonnullæ Sodalitates, Confratriç, Societates, aliçq. ſimiles perſonç Priuilegijs Apoſtolicis cohoneſtatç, Pœnitentes liberare non poſſunt à ſubiectis criminibus: ſcilicet à

36 Ca-

Digitized by Google

36 Caſibus in Bulla Cœnæ contentis.

37 Caſibus, qui Ordinarijs reſeruantur.

Violatione Immunitatis Eccleſiaſticæ in terminis Bullæ Gregorij XIV.

Sac. Congr. Epiſc. 26. Nouemb. 1602. ſub Clem. viij.

38 Violatione clauſuræ Monialium prauo animi propoſito.

39 Prouocatione, & pugna Duelli, in terminis Concilij Trid. & Conſtit. Gregorij XIII.

40 Iniectione manuum violentarum in Clericos, iuxta *Capit. Si quis Suadente*.

41 Simonia reali ſcienter contracta; & Confidentia beneficiali.

Ead. Sac. Cõgreg. 7. Ian. 1617. ſub Paulo v.

42 A quibus omnibus, ſiue ad Forum exterius deductis, ſiue non, ijdem Priuilegiati abſoluere haud poſſunt.

Ead. Congr. 17. Nouemb. 1628. ſub Vrbano viij.

43 Priuilegia denique in præfatos caſus Bullæ Cænę, & Ordinariorum auctoritati reſeruatos, nullatenus reuixerunt per Priuilegiorum Confirmationes poſt Tridentinum obtentas.

44 Sciſcitentur ampliùs ex Pœnitente Confeſſarij, an alias pro peccatis ſibi iniunctas Pœnitentias perſoluerit: quòd ſi illas non dependerit; quia animo eas ſufferendi confidenti non fuit; vel alia de cauſa; eædem commutari poterunt: ſiue impoſitæ fuerint ab ipſomet Confeſſario, ſiue ab eo maiore. At ſi eundem Confeſſarium, à quo illæ irrogatæ ſunt facilè nanciſci poterunt Confitentes, præſertim ſi is dignitate maior fuerit; expedit magis ipſos ad primum Confeſſarium pro commutatione humaniter mittere.

45 Abſtineat tamen Confeſſarius à durioribus pœnitentijs demandandis, quas, vt probè conijcere poterit, inuitè, & ne vix tandem luent homines. Nec graui crimine notatis leuem pœnitentiam præcipiat: ſicut omninò caueat, ne pro occulta culpa, licet enormi, publicam pœnitentiam infligat.

46 Semper autem verba Abſolutionis: quemadmodum & Formæ cuiuslibet Sacramenti, non confuſè, præcipi-

cipitanter, & corruptè; ſed appoſitè, grauiter, & integrè proferat.

47 Pagellam formæ abſolutionis, & Caſuum Epiſcopo reſeruatorum, nec non Cenſurarum, quilibet Confeſſarius ſuæ ſedi confeſſionali affigat. Sunt autem

Caſus Epiſcopo Palycaſtrenſi reſeruati. Cap. V.

1 BLaſphemia contra Deum, & B.Virginem.

2 Maleficium, Diuinatio, vel Incantatio, cum expreſſa, vel tacita Dæmonis inuocatione.

3 Homicidium voluntarium.

4 Iuramentum falſum in Iudicio præiudicans alteri, & ad illud ſeductio, mandatum, conſilium, vel quodlibet auxilium.

5 Abortus, vel illius Procuratio poſt animatum fœtum, effectu etiam non ſequuto.

6 Raptus mulierum, & ſtuprum virginis per vim, vel cum ſacrilegio Religioſi profeſſi.

7 Inceſtus in primo,& ſecundo gradu Conſanguinitatis, & Affinitatis.

8 Sodomia, vel coitus cum Brutis Animalibus.

48 Præter hos caſus alij etiam caſus, & cenſuræ, ſparſim in hac Synodo Epiſcopi auctoritati reſeruantur, & hìc ſemel in pauca conferuntur, vt tanquam compendiariæ notæ facilè Confeſſarijs in mentem veniant. Sunt verò

Caſus alij Epiſcopo Polycaſtrenſi reſeruati. Cap. VI.

1 PEccatum Vicarij foranei temerè diſpenſantis in Feſtorum obſeruatione. Seſſ.1. cap.7. dec.25.

2 Medici ad graui morbo affectos accedentes, poſtquàm Seſſ.1. cap. 8. dec.6.

quàm illos tertiò viſerint, & conſcientiam non expiaſſe inueniunt.

Seſſ. 2. cap. 8. dec. 4. 3 Grauis culpa eorum, qui alicuius Eccleſiæ Capituli ſuffragia alteri propalant.

Seſſ. 2. cap. 9. dec. 10. 4 Coniugum copula ante contractum matrimonium.

Seſſ. 3. cap. 6. dec. 11. 5 Debitores Decimarum, aliorumq. Iurium Eccleſiaſticorum ad ſacramentales Confeſsiones non admittendi, niſi ſoluto ære alieno, vel ſaltem conſulto Epiſcopo. Et huic caſui annexa eſt pœna ſuſpenſionis ab exercitio ſacramenti Pœnitentiæ, contra Confeſſarios prauè abſoluentes.

Seſſ. 3. cap. 7. dec. 5. 6 Domini temporales, ſiue Barones, qui licitam rerum publicarum, ac Iurium defenſionem, contra Vaſſallos, impediunt, vel prohibent.

Cenſuræ eidem Epiſcopo reſeruatæ. Cap. VII.

Seſſ. 1. cap. 5. dec. 2. 1 NOn Reuelantes Curiæ Epiſcopali eos, qui magicas Artes, Veneficia, Incantationes, Sortilegia, aliasq. Superſtitiones exercent, à fidelium communione remouentur.

ibid. dec. 3. 2 Qui rebus, aut verbis ſacris, ad præfatas iniquas artes exercendas, abutuntur, ſeu quouis alio modo ijs flagitijs incumbunt, excommunicationi ſubiacent.

ibid. dec. 6. & 7. 3 Qui Sabbato ſancto ſuperſtitiosè obſeruant primum liberæ Campanæ ſonum, anathematizantur.

ibid. dec. 8. 4 Qui adeunt Veneficas perſonas, vt earum præſtigioſis remedijs conualeſcant, excommunicatione ſunt irretiti.

Seſſ. 1. c. 12. dec. 6. 5 Qui temerè, & ex contemptu arma prohibita intus Eccleſias inferunt, vel abſcondunt, aut ſclopum ibidem explodunt, ſunt excommunicati.

Seſſ. 2. cap. 2. dec. 8. 6 Matres, quæ puerulos intra annum penes ſe accubantes in lecto retinent, ſi ſuffocatio ſequatur, excommunicationem incurrunt.

Seſſ. 2. cap. 9. dec. 16. 7 Domini temporales, ac Magiſtratus, cæteræq. priuatæ

uatę perſonę, falſis impedimentis obiectis, vel minis, aut pœnis, directè, vel indirectè, cogentes, ſiue impedientes ſuos ſubditos, & alios quoſcumque, ad matrimonium cum certis perſonis contrahendum, vel non contrahendum, Anathematis gladio percutiuntur.

8 Qui matrimonij vſum Maleficijs, & Incantationibus impediunt, vel vt his nefarijs artibus impediatur, mandant, conſulunt, aut quoquomodo adiuuant, vel permittunt, Sathanę per Anathema traduntur. Seſſ. 2. cap. 9. d. 17.

9 Excommunicatione Papę reſeruata afficiuntur occupantes bona, iura, actiones, & ſcripturas publicas, ſiue priuatas Eccleſiarum. Seſſ. 3. cap. 7. d. 6.

10 Sacrilegi omnes ſurripientes rem ſacram notabilem; id mandantes, conſulentes, permittentes, aut quoquomodo cooperantes; etiam ſi ruta, & cęſa Eccleſię, vel alterius pij loci diruti, furto ſublata ſint; dummodo notabilis pretij exiſtant, excommunicatione innodantur. Ibid. d. 7.

11 Scientes, & doloſè incidentes Arbores fructiferas Eccleſiarum, dummodo damnum materies peccati mortalis ſit, excommunicantur. Seſſ. 3. cap. 7. d. 8.

12 Illicita negotia, vel Banditorum commercia confingentes, & falsò obijcientes noſtris Clericis apud Tribunal Reu. Nuntiaturę Apoſtolicę, extra Conſortium fidelium eliminantur. Seſſ. 3. c. 14. d. 1.

13 Violantes verò Eccleſiaſticam Immunitatem in terminis Conſtitutionis fel. rec. Gregorij XIV. Excommunicatione Papę reſeruata innodantur. Neque Regulares in contrarium venire audeant, prętextu quorumcunque priuilegiorum, facultatum, & indultorum; etiam illius, quod Mare Magnum appellant; Quandoquidem facultas hęc abſoluendi Violatores iſtos Eccleſiaſticę Immunitatis apertè eis adempta eſt à varijs Summorum Pontificum Conſtitutionibus. Seſſ. 1. c. 13. d. 11. Sac. Congr. in Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de Caſ. Reſer. & alibi 9. Ian. 1601 & 26. Nouëb. 1602.

14 Quoniam à Reſeruatis nemo ſine ſpeciali facultate abſoluere poteſt, ſi Pœnitentem rectè diſpoſitum exiſtimet Confeſſarius, & vereatur ne à ſancto propoſito reſiliat,

liat, ſi illum ad nos mittat, vel reſponderi à Nobis certioribus iam factis per epiſtolam expectet; Confeſſionem tunc minimè deneget, neque protrahat, ſed eam integrè audiat, ac Pęnitentem deinde ad nos ableget: quod ſi is ad Nos accedere renuat, vel commodè non valeat; inſinuet hoc nobis cautè Confeſſarius per literas non temerè omnibus committendas, in quibus Caſum circumſpectè nobis aperiat; ac ſimul iubeat Pœnitenti, vt habito Epiſcopi reſponſo, ad ſe, pro Sacramentali abſolutione, redeat: & caueat ſemper ne à reſeruatis, vel à Cenſuris iſtis aliquem prauè liberet; ſub pęna excommunicationis latę ſententię, ſiuè ſecularis ſit Confeſſarius, ſiuè Regularis; eaque reſeruatur Papę, vt ſupra retulimus.

Sac.Cong.Ep. 9.Ian.1601.

Seſſ.eád. c.4. dec.29.

15 Animarum tandem bono, & Confeſſariorum religioni, ac ſtudio expedit, Nos fel. rec. Gregorij XV. Conſtitutionem, necnon aliquot eius declarationes, contra Sollicitantes in Confeſſionibus, ſedulò ſubiungere.

16 Conſtitutio contra Sollicitantes in Confeſſionibus.

Gregorius Papa XV.

Ad perpetuam rei memoriam.

VNiuerſi Dominici gregis curam, quamquam immeriti, cæleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò inuigilare tenemur; vt ab omnibus prauis contagijs conſeruetur immunis: multaq. maiori ſtudio prouidere, vt omnis peſtis ab ijs auertatur, quibus aliàs ſanandi officium eſt commiſſum: ne quod Euangelica ſcripta nos admonent ſale infatuato non ſit in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis prouiſum fuit, vt impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolum inter Chriſtifideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab ijs arceatur, videlicet, vt aliquis Sacerdos ad ſacras audiendas Confeſſiones

depu-

depiitatus, Sacroſancto Pœnitentiæ ſacramento, ſollicitando Pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina Venenum, pro pane Aſpidem porrigat, & ex cæleſti medico infernalis Veneficus; ex Patre ſpirituali proditor execrabilis animarum reddatur. idcirco Nos ea, quæ his pernicioſiſſimis Diaboli inſidijs arcendis, cæteris locis ſalubriter conſtituta ſunt, vt nullibi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, prouidendum duximus. aliàs ſiquidem à fel. rec. Pio Papa IV. Prædeceſſore noſtro emanarunt literæ tenoris ſubſequentis. Videlicet. Pius Papa IV. Venerabili Fratri Archiepiſcopo Hiſpalen. in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ prauitatis Inquiſitori Generali. Cum ſicut nuper, non ſine animi noſtri moleſtia, accepimus, diuerſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum, atque etiam in eorum Ciuitatibus, & Diœceſibus, curam Animarum habentes; ſiuè eam pro alijs exercentes; vt aliàs audiendis Confeſſionibus Pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, vt Sacramento Pœnitentiæ, in actu audiendi Confeſſiones, abutantur; nec illi, & qui id inſtituit, Domino Deo, & Saluatori noſtro Ieſu Chriſto iniuriam facere vereantur; mulieres videlicet, Pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiunt Confeſſiones, alliciendo, & prouocando, ſeu allicere, & prouocare tentando, & prouocando; ac loco earum per Sacramentum huiuſmodi Creatori noſtro reconciliationis, grauiori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo, in Diuinæ Maieſtatis offenſam, & animarum perniciem, ac Chriſtifidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quod qui de fide Catholica rectè ſentiunt, Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, vt illis iniuriam faciant, fraternitati tuæ, de cuius eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimùm in Domino confidimus; per præſentes committimus, & mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu alios à te deputandum, ſeu deputandos, contra omnes, & ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Ciuitatum, & Diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tàm ſæculares, quàm quorumuis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum Ordinum, Regulares cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, &

præmi-

præeminentiæ exiſtant, tàm ſuper præmiſſis, quàm ſuper fide Catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras; & iuxta facultatum tibi contra Hæreticos, aut de hæreſi quouis modo ſuſpectos, à Sede Apoſtolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas; ac culpabiles repertos iuxta exceſſuum ſuorum qualitates, prout Iuris fuerit, punias eos, etiamſi, & prout de iure fuerit faciendum, debita præcedente degradatione, ſecularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, necnon Ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam Iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & Decretis, etiam motu proprio, aut aliàs quomodilibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis; quibus omnibus, eorum tenores præſentibus pro expreſſis habentes, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæterisq. contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 16. Aprilis 1561. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Igitur vt literæ prædictæ perpetuis futuris temporibus, & vbique locorum inuiolabiliter obſeruentur, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium contra hæreticam prauitatem generalium Inquiſitorum, præinſertas literas huiuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium, approbamus, & confirmamus, illisq. omnibus, & ſingulis inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adijcimus: illasq. non ſolum in prædictis Regnis Hiſpaniarum, ſed in quibuſuis Chriſtiani Orbis partibus firmiter, & inuiolabiliter obſeruari præcipimus, & mandamus. Ac præterea, ne in futurum de pœna his Delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi, ab aliquo dubitari poſſit, ſtatuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & ſinguli Sacerdotes, tàm ſæculares, quàm quorumuis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectorum

rum

rum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares cuiuſcunque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcunque illæ ſint, ad inhoneſta, ſiue inter ſe, ſiue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſiue ante, vel poſt immediatè; ſeu occaſione, vel prætextu Confeſſionis huiuſmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta; ſiue extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionario, aut in loco quocunque, vbi Confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad Confeſſionem audiendam electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſollicitare, vel prouocare tentauerint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, ſiue tractatus habuerint, in officio S. Inquiſitionis ſeueriſſimè, vt infra, puniantur. Et præterea omnes hæreticæ prauitatis Inquiſitores, & locorum Ordinarios omnium Regnorum, Prouinciarum, Ciuitatum, Dominiorum, & locorum vniuerſi Orbis Chriſtiani, in ſuis quemque Diœceſibus, & Territorijs, per has noſtras literas, etiam priuatiuè quoad omnes alios, ſpecialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, vt ſuper his contra prædictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis fidei, iuxta Sac. Canonum formam, necnon officij Inquiſitionis huiuſmodi Conſtitutiones, Priuilegia, Conſuetudines, & Decreta, diligenter inquirant, & procedant; & quos in aliquo ex huiuſmodi nefarijs exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro Criminum qualitate, & circunſtantijs, ſuſpenſionis ab Executione Ordinis, priuationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcunque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa; necnon vocis actiuæ, & paſſiuæ, ſi Regulares fuerint; Exilij, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum, abſque vlla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernant: eos quoque, ſi pro delicti enormitate grauiores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ ſæculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus Generalibus Inquiſitoribus, ne delictum tàm enorme, & Eccleſiæ Dei tam perniciosum remaneat, ob probationum defectum, impunitum (cum difficilis ſit probationis) teſtibus, etiam ſingularibus, concurrentibus præſumptionibus, indicijs, & alijs admi-

niculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo iudicandi, & Curiæ ſæculari, vt præfertur, Reum tradendum eſſe pronunciandi. Non obſtantibus omnibus, quæ dictus Prædeceſſor in ſuis literis prædictis voluit non obſtare, cæteriſq. contrarijs quibuſcunque. Mandantes omnibus Confeſſarijs, vt ſuos Pœnitentes, quos nouerint fuiſſe ab alijs, vt ſupra, ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeu vt præfertur, tractantes, Inquiſitoribus, ſeu locorum Ordinarijs prædictis. Quod ſi hoc Officium prætermiſerint, vel Pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu tractantes, vt ſupra, ijdem locorum Ordinarij, & Inquiſitores illos pro modo culpæ punire non negligant. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra, vbique habeatur, quæ præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ; quòdque eadem præſentes literæ, ſeu illarum exempla ad Valuas Baſilicarum S. Ioannis Lateranen., ac Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ affixæ, omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent. Datum Romæ apud S. Mariam maiorem, ſub Annulo Piſcatoris die 30. Auguſti 1622. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

S. Card. S. Suſanna.

17 *Super ead. Conſtit. contra ſollicitantes &c. excuſum eſt Neap. exemplum literarum Illuſtriſſimi D. Card. Millini ad Illuſtriſſimum Card. Carafam Archiep. b.m. tenoris ſequentis.*

A tergo. *All' Ill.mo & Reu.mo Sig. mia oſſ.mo il Sig. Cardinale Carrafa. Napoli.*

Intus vero. *Ill.mo & R.mo Sig. mio oſſ.mo*

Dopo eſſerſi hauuta lunga, & matura Conſideratione ſopra il dubio ſignificato da più bande, ſe i Penitenti ſiano obligati à denunciare i Confeſſori, da quali ſono ſtati ſollecitati nel luogo, ò atto della Confeſſione, quando hanno conſentito alla ſollicitatione. N. Signore, & queſti miei Signori in Congregatione tenuta auanti S. Santità à 25. di Luglio paſſato, dopo hauere

anco

anco inteſo il parere di vna particolare Congregatione deputata per queſto effetto; hanno riſoluto, che qualſiuoglia Penitente è tenuto à denunciare il Confeſsore, dal quale ſarà ſtato ſollecitato nel luogo, ò atto della Confeſſione, ancorche gli habbia conſentito; & non è tenuto à propalare il proprio conſenſo: nè ſopra ciò ſi interroghi dal Veſcouo, ò Inquiſitore, ò loro Vicarij, auanti de quali deporrà, nè meno il Confeſſore Denunciato, procedendoſi poi contra di lui, nè i Conſtituti, che ſe li faranno, s'interroghi ſopra detto conſenſo. Et in caſo, che lui voleſſe dirlo da ſe, non ſi ſcriua il ſuo detto, come, in ordine alla perſona ſollecitata, non ſpettante all'officio della Santa Inquiſitione. Le parti dunque di V. S. Ill.ma ſono di ſignificare la detta riſolutione à i Confeſsori, & incaricargliene ſtrettamente l'oſſeruanza, acciò ne i caſi, che occorrono alla giornata, conforme al tenore della Conſtitutione publicata da Gregorio XV. ſan. mem. contro i Confeſſori ſollecitanti; Significhino à i Penitenti l'obligo, che hanno di denunciare i Confeſſori, da quali ſaranno ſtati ſollecitati; & hauendoli conſentito, & facendo difficultà diſcoprir il proprio conſenſo, conforme alla riſolutione, che ſi è fatta, li dichino apertamente, che non ſono tenuti à propalare il detto conſenſo; & che tanto eſſi Penitenti, quanto i Confeſſori ſollicitanti, procedendoſi contro di loro, non ſeranno di ciò interrogati; & dicendo da ſe non ſi ſcriuerà, nè riceuerà il loro detto; Et quando il Penitente tuttauia perſiſteſſe nella medeſima renitenza; Noſtro Sig. ſi contenta, che dal Veſcouo, ò dall'Inquiſitore, ſi dia auttorità al Confeſſore di riceuere per ſcrittura, & con giuramento la Denuncia per portarla ſubito à chi hauerà data l'auttorità di pigliarla. Et ſe oltre le coſe ſudette, occorrerà altro caſo graue, per il quale non ſi poſſa il Penitente indurre à denunciare; vuole S. Santità, che ſe ne ſcriui quì, & ſi aſpetti la riſpoſta, & in tanto ſi ſopraſeda nell'aſsolutione, & tanto ſi contenterà V. S. Ill.ma di far oſſeruare nella ſua Dioceſe, facendo regiſtrare la preſente negli atti di coteſta Corte, per Informatione ſua, & di ſuoi ſucceſſori, li quali douranno hauer mira, che la preſente riſolutione riguarda ſolo quei Penitenti, che per hauer conſentito fanno difficultà in denunciare; ma quei che non hanno conſentito,

tito, ò hauendo conſentito, non ſono in ciò renitenti, non deue il Confeſſore porre difficultà alcuna, ma laſciare, che indifferentemente, & liberamente ſodisfaccino all'obligo, ch'hanno di denunciare, conforme alla detta Conſtitutione. Compiacendoſi anco V. S. Ill.ma di mandar copia della preſente à i Veſcoui ſuoi Suffraganei, acciò da eſſi ancora ſia fatto oſſeruare la ſudetta riſolutione. Per fine à V. S. Ill.ma humiliſſimamente bacio le mani. Di Roma li 27. di Settembre 1624.

Di V. S. Ill.ma & R.ma

Humiliſſimo & aff.mo Ser.
Il Card. Millino.

Item & aliæ literæ, vt infra, de ead. Materia.

18 A tergo. *Al molto R. Sig.re il Signor Vicario generale di Salerno.*

Adeſt ſigillum. Intus verò.

Molto R. Signore. Acciò più fondatamente ſi proceda contro li Sollecitanti in Confeſſione: queſta ſuprema Congregatione ordina, che per il detto di vna ſola Donna non venghi à conſtituire il preteſo Reo, ſenza prima darne quì auuiſo con relatione della qualità della Donna, & del Denonciante, & del Denonciato, & all'hora ſi ſcriuerà à V. S. ſe debba, ò non, procedere à conſtituirlo, & carcerarlo, ſerà anco V. S. contenta di ſignificar queſto medeſimo ordine à i Veſcoui ſuoi Comprouinciali, acciò etiandio da loro ſia eſſeguito, & il Sig. Iddio li conceda ogni bene.

Di Roma li 27. di Luglio 1627.

Di V. S. Come fratello

Il Card. Millino.

De Euchariſtia. Cap. VIII.

1 PAnem Angelorum, ſalutem ſcilicet, & vitalem animi ſpiritum, hominibus deguſtandum, noſtrum præbuiſſe Redemptorem, eximia Diuinæ Charitatis munificentia

tia fuit, atque ampliſsimus honoris gradus miſerrimę naturæ collatus: & tamen *homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt Iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*; dum mortales penè omnes, *qui nutriebantur in Croceis, amplexati ſunt ſtercora*, & ſumma hac immortalis vitę eſcâ poſthabita; ventri, alijſque vitiorum illecebris turpiſsimè dediti, *ſicut oues in Inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos*. Quę nobiſcum ſæpè animo agitantes, paterni amoris lacrymis conficimur; ac tantam commiſsi Nobis gregis calamitatem vt infinita Dei bonitas auertat, Parochorum partes in vehementer hortandis populis ad puram diuini huius Sacramenti frequentationem ſedulò requirimus.

Pſal.48.verſ. 13.

Ierem.lamēt. c.4.verſ.5.

Pſal.eod.ver. 15.

2 Ijdem Curati prima cuiuslibet Quadrageſimę hebdomada operam dent diligentiſsimam, vt Puellę, Puerique omnium locorum, qui è decimo iàm anno exceſſere; quique, vt prudens eorum fert opinio, idonei cenſentur ad ſumendam Euchariſtiam, altiſsimis tantę rei myſterijs inſtruantur: pręſtantiſsimam nimirum virtutem, atque effectus tam venerabilis Sacramenti animo percipientes.

3 Sacramento Euchariſtię, licet per annum vbique Eccleſiarum quiſpiam ſe ipſum reficere poſsit; Paſchatis tamen ſolemnitate quilibet in ſua Parochia ſacra Synaxi ſe munire debet. Nec Curati valeant Parochianis ſuis permittere, vt Paſchæ tempore in aliena Eccleſia communicent. Indulgere verò ijs poterunt, vt de peccatis ſe accuſare queant apud alium Confeſſarium à Nobis approbatum; dummodo is eiuſdem Parochiæ ſit, vel alterius ſaltem Eccleſiæ in eodem Oppido exiſtentis.

Illatū ex Trid. ſeſſ.13.can.9. de Euchar. & ſeſſ.24. c.13. de Refor. & ex cap.Omnis vtriuſque ſexus, de Pœnit. & remiſs.

4 Vt probè noſcatur numerus eorum, qui Paſchatis celebritate in propria Parochia ſacroſanctam Euchariſtiam deſumpſerunt, ab ipſo Quadrageſimæ initio oſtiatim recenſeant Curati Parochianorum domos: atque in librum referant ſingulos cuiuſlibet domus Confeſſioni tantùm, vel huic, & Communioni ſimul idoneos: quos nominatim deinceps connotent in ſchedulis ipſa parochorum manu ſubſcriptis: ac ſtatim poſt Confeſſionem Pueris, vel poſt Com-

munionem Adultis à ſuo Confeſſario, à Curato, vel à Sacerdote Euchariſtiam exhibente, ordinatè diſtributis; vt has poſtea ijdem Parochi diligenter repetant à ſingulis, per totam Octauam Paſchæ: qua elapſa Curati pleniſſimè renuncient Epiſcopo omnes, qui Eccleſiæ mandata non ſint executi; vt is contumaces excommunicandi, ac publicè declarandi prudens conſilium capiat.

5 Sępè nobis exploratum fuit, eos, qui diebus Paſchalibus à Patria abſunt, cum in illam redeunt, & per ſchedulas, ſiue fides, conantur oſtendere, ſe Eccleſiæ præcepto ſatisfeciſſe, interdum dolos confingere. Quamobrem ſi intra dies quindecim, poſtquàm hi in domum remigrauerint, proprio Parocho; vel, eius permiſſu, alteri approbato Confeſſario, ſua peccata non confiteantur, & ſacramentum Altaris in Parochia non ſumpſerint, ad Curatos ſpectabit huius rei ſine mora Epiſcopum commonefacere; vt is debitas Cenſuras decernat.

6 Regulares à Dominica Palmarum, per totam Octauam Paſchatis, Euchariſtiam Laicis nullo modo præbeant; ſed illos ad ſuum Parochum remittant.

7 Tempore Paſchali, qui carceribus ſunt mancipati, nullo pacto ſacratiſſimo Chriſti Corpore priuentur: atque in id Parochi diligentiam omnem conferre debent.

8 Feria quinta in Cœna Domini plures particulę conſecratæ, pro Aegrotis, ad Sepulcrum Redemptoris, intra Pyxidem, deferantur. Sepulcrum verò in qualibet Diœceſis Parochia decentiori ornatu, pro viribus, inſtruendum erit: eidemque Sacerdos, ac bini ſaltem Clerici Cottis induti, viciſſim, per diſtributas horas, còntinuò, ac reuerenter aſſiſtant.

9 In Communionibus generalibus, cum plures particulæ conſecrandæ ſint, hæ numquam ſuper Corporale collocentur, ſed intra Pyxidem, vel Calicem ſeparatum; vt periculum omne corruendi longiùs diſtet.

10 Experientia quoque nos docuit fragmentorum aliquid ferè ſemper è digitis ſacram Communionem diſpenſantis

ſantis leuiter, ſenſimque prolabi. Quare Pyxis, ſiue Calix, vbi particulæ continentur, propiùs, quoad conuenientius fieri poteſt, ad os quodlibet Euchariſtiam deſumens aptetur: & infra Pyxidem ab altero Sacerdote ſuperpelliceum deferente Patena attentè circumferatur, vt ſupra illam fragmenta concidere poſſint.

11 Nemo, dum venerandum Chriſti Corpus accipit, caput ſtatim abdat; vel in partem aliquam declinet; ſeu Mappa, alioue linteolo proprium os contegere audeat; vt impietati nullus omnino locus detur.

12 Parochi ſemper ſint, vel ſaltem Confeſſarij, qui ſanctiſſimam Euchariſtiam ad Aegrotos deferunt; vt ſi his conſcientiam expiare contingat, illi præſto ſint, ac paratiſsimi. Dentur tamen prius aliquot Campanæ ſigna, quibus Confraternitas Sacramenti, ac populus conuocentur. Nec Sacerdos ſinè Pluuiali, ac velo humerali, ſub Baldacchino, quemadmodum in publicis Proceſsionibus circumgeſtari ſolet, Pyxidem aſportet. Cúm verò ad Eccleſiam redit, poſtquàm Sacramenti vas intra Tabernaculum reuerenter occluſerit, nequaquam Indulgentias eas publicare omittat, quas lucrati ſunt hi, qui ſacram Hoſtiam religiosè ſunt proſecuti.

13 Quòd ſi cum ad Aegrotantes accedit, eos ita morbo implicitos reperiat, vt communicare prorſus nequeant; ad Eccleſiam ſtatim remigret, Infirmis nullatenus ad Euchariſtiæ oſculum admiſsis; neque illa eiſdem, venerationis ergo, oſtenſa; vt corruptè alicubi vſitatum fuit: quòd Romanum Rituale, ac Sac. Congregatio planiſsimè improbarunt. Ritual. Rom. de Com. Infir. Sac. Congreg. Epiſc. ad Archiepiſcopum Panormit. 19. Nouēb. 1571.

14 **Deteſtabilis etiam valde eſt, & prauus nonnullarum Eccleſiarum vſus, in ſtultè collocandis** clauibus Tabernaculi Auguſtiſsimi Sacramenti, Fontis Baptiſmalis, Oleorum ſacrorum, Sanctarumvè Reliquiarum. Ideoque, vt cautiùs res tanti momenti peragatur, Parochis omnibus ſeuerè præcipimus, ſub pœna exilij per annum, aliaque arbitrio noſtro acriter irroganda, vt eaſdem claues intra Ar-

culam Sacriſtiæ tutò recondant; eamque occludant claue firmiſsima, quam penès ſe continuò cuſtodiant: & Curatis ipſis abſentibus, primo Confeſſario, vel alteri probatæ fidei Sacerdoti, conſignent.

15 Porrò ſacroſanctæ Euchariſtiæ particulas intra cuſtodiam aſſeruatas, quauis feria quinta, in memoriam diuiniſsimæ eiuſdem Sacramenti inſtitutionis, Parochi renouandas eſſe curent. Ac ſtudeant perpetuò coram Tabernaculo lampadem elucere; ſub pœna carceris per menſem. In quam rem Vicarij etiam foranei curioſè inuigilent; vt tranſgreſſores pœnis meritò afficiantur.

De ſacro Ordine. Cap. IX.

1 AB ipſis mundi incunabulis, vt Mortales debitum Deo ſacrificium laudis immolarent, Sacerdotium, ac Sacrificium ſibi intimè copulatum, omniq. lege cautum fuiſſe, è Sacris literis probè tenemus. Verùm antequàm ad altiſſimum Sacerdotij culmen conſcenderemus, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ratio expoſtulabat, vt per alios minorum ordinum gradus ad Sacerdotalis Regni faſtigium proueheremur. Quod vt meritò aſſequamur, decet planè omnes ſui Ordinis dignitatem perpendere, atque officij partes implere; nam (teſte Apoſtolo) *qui bene miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent*.

1. ad Timoth. 3. verſ. 13.

2 Ac ne alicui citò manus imponamus, quilibet promouendus ad Ordines comparet ſibi diligentiſſimè Requiſita omnia in noſtro Edicto ſtatuta; eaq. in tempore ibidem præſcripto Generali noſtro Vicario præſentet. Atque omnino abſtineant omnes à literis Commendatitijs, alijsvè Optimatum ſtudijs ad optatum Ordinem facilè impetrandum: nam qui horum fidei ſe committunt, ac gratijs innituntur, tanquam inhabiles erunt ab ea ordinatione reijciendi, & per annum ad Ordines non admittentur.

3 Vitæ honeſtatis, morumq. teſtimonium, quod Prouehendi

uehendi ad Ordines, iuxta noſtrum Edictum, modeſtè à ſuis Cleris implorare debent, per Suffragia ſecreta (quod & in cæteris, quæ capitulatim determinanda ſunt, ſeruari debet) conuocato Capitulo, detur: ac fidem poſtmodum faciendam Archipresbyter, & Vicarius foraneus ſubſcribant. Hi verò, qui Capitulo interſunt, veritati, & non aliorum placitis, ſiue ſtudijs faueant; vt optimè meriti, & non nebulones, vel diſcoli promoueantur.

4 Suffragiorum verò cuiuſuis Capituli duæ partes ad approbandum, ſtatuendum, & exequendum ſufficiant. Nec quiſpiam alicuius ſuffragium, extra Capitulum, alteri pandat, vel quoquomodo propalet: cum hinc non leues inimicitiæ, ac ſcandala oriri ſoleant; ſub pœna grauiſſimi peccati, cuius abſolutionem nobis reſeruamus. Quod ad vnguem ſeruent omnes in non reuelandis cæteris ſuffragijs eorum, quæ in ſingulis alijs Capitulis decernentur, pro publico ſuæ Eccleſiæ bono: ſecus enim, qui contraueniet, præter animi labem à nobis ſolummodo diluendam, pro prima vice, vnius menſis; pro ſecunda, ſemianni; pro tertia, totius anni diſtributionibus ipſo facto careat.

5 Die tamen antequàm congregetur Capitulum, illud omnibus denuncietur ad certam horam: aliàs in eo acta viribus omnino careant. Niſi inopinata, & repentina aliqua neceſſitas aliud ſuadeat: tunc enim dignitate præcipuus; vel, eo abſente, antiquior Canonicus (quibus eo caſu conuocandi Capituli poteſtatem facimus) prudentiori cura, qua poterit, congruentem Canonicorum numerum Capitulo ita ex tempore collecto præſentem eſſe conetur. Qui verò intimatus ad Capitulum ſemper non accedit, illius diei diſtributione priuetur, & aliam pœnam, nobis Arbitris, luet.

6 Capitulum quoque nunquam habeatur, quando in Eccleſia Miſſæ aut diuina Officia celebrantur. Nec Cleri bona tunc temporis recognoſcere, vel Adminiſtrantium rationes ponere licebit. Opportunè igitur Capitulum cogendum erit. Vbi quiſque ſua ſe contineat ſede: atque

hinc

Digitized by Google

hinc moderatè, integrèq. ſuum votum aperiat. Nec vnus alium clamoſis iurgijs impetat; ſeu contumelijs afficiat: nam audacem hunc hominē ſeueris vinculis caſtigabimus.

7 In ſubiectis caſibus Capitulum congregari planè interdicimus, anteaquàm Nos, vel ſaltem Generalis noſter Vicarius, Nobis abſentibus, ſpecialem facultatem Clero permittamus: alioquin illud ſtatim irritum, atque inane eſſe ſtatuimus: & intereſſentes acerbè plectentur: videlicet

Si de remiſſione, tranſactione, aut quauis concordia pecuniæ, Actionum, ſiue Iurium quorumcunque Eccleſiæ, Sacriſtiæ, Cappellis, Clero, aut pio alteri loco competentium, agatur.

Quoties longi temporis locationes decernendæ ſunt; Etiamſi rerum forent, quæ in feudum dari conſueuerunt.

Dum conſilium capiendum eſt ad certas conſuetudines abolendas; vel ad nouos Ritus excitandos; aut ad nouas Conſtitutiones inducendas.

8 Ijs, qui prima clericali Tonſura initiantur, non deſit ſua Veſtis quaſi talaris, Superpelliceum, ac Biretum. Neque hæc de induſtria ab alijs commodatò accipiant, cum ad Ordinationem accedunt; ſub pœna decem librarum Ceræ, quam ſtatim incurrant Parentes, Fratres, ſiue alij, qui Tonſura inſignitorum curam gerunt, & ſupplices pro illis libellos de hac re nobis obtulerunt.

9 Ea eſt noſtræ Diœceſis Beneficiorum tenuitas, vt ferè ſemper, qui ad Subdiaconatum aſſumuntur, ad titulum ſui Patrimonij promouendi ſint. Quocirca id potiſſimùm in hac re oportebit attendere, vt Patrimonium hoc verum, ac ſufficiens ſit: & certi illius prouentus decem, & octo ſaltem ducatorum (prout commodè fert regionis conditio) exiſtant: hique annuatim ex Agris fructuarijs, vel aliorum ſtabilium bonorum penſionibus, & redditibus; aut ex certiſſimo pecuniæ cenſu, & non è mobilibus rebus, ſiue Animalibus percipiantur. Nominatim etiam ijdem redditus in aliqua legitima ſtipulatione, ac donatione, vel in

alijs

alijs publicis tabulis, per iuſtum titulum, atque expliciti oſtendantur. Quemadmodum ex publicis etiam alijs documentis, & teſtium depoſitione iureiurando vallata, coram noſtro deputato, probè conſtare debet verus hic, non ſimulati Patrimonij valor, omnium onerum expers; necnon pacifica eiuſdem poſſeſsio, & plena fructuum perceptio.

10 Patrimonium huiuſmodi alienare, hypothecare, vel onus aliud ei imponere, nefas eſt; ſub pœna carceris arbitrio contra alienantes, & nullitatis Contractus ipſo facto contra ementes, commutantes, aut quouis alio titulo acquirentes.

11 Quibus, vt extra Diœceſim, iuſta de cauſſa, ad Ordines euehantur, Dimiſſoriales literæ à Nobis conceſſę ſunt, non liceat ſuum Ordinem exercere, priuſquàm Nobis, vel Generali Vicario teſtimoniales literas ſuſcepti Ordinis exhibuerint; vt hæ à noſtro Cancellario in Regeſtum referantur; ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio Ordinis.

De Impedimentis ad Ordines ſuſcipiendos, Cap. X.

1 IGnorantia impedimentorum, quæ alicui obſtant, ne ad Ordines aſcendere debeat, ſæpenumero efficit, vt, peractis Denunciationibus, nulla obijciantur obſtacula, quę re vera intercedunt. Quare illorum aliqua magis pręcipua nunc paucis complectimur, vt nemini ignota ſint.

2 Qui legitimam ętatem non habet; vel non eſt liber.

3 Qui ante legitima tempora accedit, & pręter Interſtitia.

4 Qui per Saltum ordinatur.

5 Simoniacus.

6 Non ſubditus, & ſine legitima licentia ſui Ordinarij.

7 Non Baptizatus, aut Confirmatus.

Illegi-

8 Illegitimus, etiam occultus; vel non legitimè diſpenſatus.

9 Deformis, vel Mancus, aut membris captus,& vitiatus; etiam in partibus, quę remouentur ab oculis: vel Abſtemius.

10 Energumenus.

11 Inſanus, Furioſus, Lunaticus, ſeu qui lucida tantùm habet interualla.

12 Epilepticus, ſeu morbo comitiali correptus.

13 Ignarus, & rudis.

14 Bigamus, etiam ſi cum vna tantùm, ſed Viduã, contraxerit.

15 Hermaphroditus, cuius virilis ſexus non pręualet.

16 Suſpectus de Hæreſi; aut notoriè Blaſphemus, vel Apoſtatã.

17 Criminoſus publicè notus; Homicida; Percuſſor; Rixoſus.

18 Concubinarius; Impudicus.

19 Vſurarius, Periurus, Ebrioſus, vel gulæ deditus.

20 Inquiſitus de Crimine, ſeu criminaliter, vt aiunt.

21 Suſpenſus, Interdictus, Excommunicatus.

22 Hiſtrio, Scurra, Circulator, & his ſimilis.

23 Infamis quacunque de cauſa.

24 Miles in bello certans, vbi neces patratæ ſunt.

25 Obligatus publicis Ratiocinijs; vel alio ære alieno preſſus; ſiue ſæcularibus curis implicatus.

26 Qui non ſufficiens Beneficium, vel Patrimonium, aut id ſimulatum, habet; ſeu pacificè non poſſidet.

27 Accuſator, Iudex, Notarius, Teſtis, Aduocatus, Procurator, & quilibet cauſam capitalem in aliquem dicens, agens, mandans, conſulens, permittens, aut quoquomodo adiuuans, vbi Reus morte, ſiue mutilatione punitus ſit.

De

Digitized by Google

De Matrimonio. Cap. XI.

1 INter publica Chriſtiani Orbis mala, illa Nos ſemper magis, magiſque ad mærorem impellunt, quæ in ſanctiſſimis matrimonij legibus deprauandis verſantur. Quis enim Chriſtianorum Coniugum eſt, qui non peruerſo Ethnicorum more corruptus, caſtum matrimonij vſum retineat; ac cæleſtem eius ſcopum, qui, *SACRAMENTVM, FIDES*, & *PROLES* eſt, ſtudioſè attingat? proh dolor, omnes penè coniugio copulati concupiſcentiæ illecebris diſtrahuntur; nec eſt qui Dei Angelo Thobiam tantæ rei præceptis inſtruenti aures præbeat: *Tu autem* (de vxore inquiens) *cum acceperis eam, ingreſſus Cubiculum, per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud, niſi orationibus vacabis cum ea: tranſacta autem tertia nocte, accipies Virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus; vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filijs conſequaris*. Quæ diuina monita omnibus Coniugatis perpetuò cordi eſſe, maximopere optamus. Tob.6.ver.18 & 22.

2 Qua de cauſa Coniuges, antequàm ritè matrimoniunt ineant, de peccatis exactè confiteantur, & Diuina Euchariſtia ſe reficiant, atque eius auxilio roborati ad huius ſacramenti gratiam ſuſcipiendam accedant. Sed Parochorum partes erunt, vt hi matrimonio coniungantur, qui Chriſtianæ fidei rudimentis ſint inſtructi, vt ſupra ſtatutum eſt, vbi de Sacramento Pœnitentiæ egimus. Seſſ.2. cap.4. dec.12.

3 Vt Poligamiæ Crimini cautè obuiatum ſit, mandamus planè obſeruandam eſſe Inſtructionem ſupremi Tribunalis ſanctiſſimæ Inquiſitionis, in examine illorum teſtium, qui in noſtram Curiam, pro contrahendis matrimonijs, inducuntur. Trib S.Officij Inſtruct. ſub Dat.Rom.13. Iul.1630.

4 Caueant Parochi, ne primam matrimonij Denunciationem aggrediantur, niſi prius de vtriuſque Contrahentis legitima ætate: hoc eſt, muliere in duodecimo, & Vi-

Digitized by Google

& Viro in decimo quarto iam expleto anno conſtituto; ac de libero eorundem conſenſu eis benè conſtet: ſi tamen ambo eiuſdem ſint Parochiæ; ſin autem eorum alter, illius tantùm Conſenſus Curatis apertiſſimus ſit. Quòd ſi Vir, ac mulier diuerſam habeant Parochiam, tunc in vtraque Parochia Denunciationes fiant. Sed ſi ſponſalia peracta ſint inter ſponſos, qui legitimam ætatem non degunt, Parochus totus eſſe debet in remouendis ſponſis ab omni familiari conſuetudine Viſitationum, colloquiorum, & cohabitationis. Porrò ſtatim ac pubeſcet is, qui in legitima ætate nondum poſitus erat, ab eo exquirat Curatus, an contracta ſponſalia rata habere animo proponat: cumque vtriſque ita placuerit, citiſſimè illos matrimonio coniungat; vt lites nullæ, nec ſcandala oriantur.

5 Liber autem hic Coniugum Conſenſus, qui Parochis innoteſcere debet, antequàm ad Denunciationes deueniant, non eſt, vt coram eis tunc Coniuges ipſi matrimonij, vel ſponſalium vltrò conſenſum præſtent; ſed ſolummodo, vt Parochi accuratè expoſcant ab illis, an eorum matrimonium publicè ſit denunciandum. In hoc autem mulieris propoſito explorando, honeſtum, apertumque locum requirant Curati; vt illa liberè ſuum animi ſenſum exprimere queat.

6 Tres verò Denunciationes à proprio Contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtiuis, in Eccleſia, inter Miſſarum ſolemnia, diligentiſsimè fiant. At ſi matrimonium ter publicè denunciatum intra duos menſes neutiquam contrahatur, Parochi ab eo celebrando penitùs abſtineant: niſi tribus iterum peractis Denunciationibus; quas ſine noua noſtra licentia aggredi poterunt.

Trid. ſeſſ. 24. c. 1. de Reſor. matr.

7 Fidem tamen Denunciationum, pro quolibet matrimonio celebrando, ad Nos mittant Curati, priuſquàm hoc Sacramentum conficiatur; vt, ea diligenter inſpecta, facultatem deinceps illud adminiſtrandi ab Epiſcopali Curia gratis obtineant. Nec ipſo die, quo abſoluitur tertia Denunciatio, ſponſos in matrimonium coniungant; ſed

tribus

tribus ſaltem alijs diebus elapſis: niſi poſtrema hæc Denunciatio incideret in diem, qui Aduentus, aut Quadrageſimæ initium præcedit; tunc enim ipſomet poſtremæ Denunciationis die matrimonium adminiſtrari poterit.

8 Legitimas prætere a contradictiones, atque impedimenta, quæ in ipſis Denunciationibus deteguntur, in ſcriptis propria Reuelantis ſubſcriptione munitis; vel (ſi is ſcribere neſciat) coram duobus ſaltem teſtibus deponentis, recipienda eſſe ſtatuimus.

9 Quotieſcunque futuri Coniugij impedimentum aliquod retegitur, Parochus, grauiſsimas pœnas interminando, facultatem omnem mutuę conſuetudinis adimat Sponſis, donec à Sancta Sede Apoſtolica legitimam diſpenſationem, & à noſtra Curia licentiam ritè contrahendi obtineant; poſtquàm Nos Diſpenſationis preces veritati inniti apertè cognouerimus. Verùm ſi, poſt matrimonium iam celebratum ad Sac. Trid. Concilij præſcriptionem, impedimentum nonnullum innoteſcat; protinus inhibendum eſt nuptis, ne vnus altero familiariter vtatur; ſed inuicem ſegregati maneant, quouſque ab Apoſtolica Sede, & ab Epiſcopali Curia, vt ſupra, legitimè diſpenſatum, & decretum fuerit.

10 Matrimonium etiam à Curatis intra Parochiam, manè, ante Altare maius, & coram contrahentium Propinquis circumſpectè adminiſtretur; niſi aliter à Nobis, & id quàm raro, diſpenſatum fuerit. Neque hi ad contrahendum Coniuges admittant, ſine conſueta Nuptiarum benedictione; vel ſaltem abſque pignoris captione; vt certò certius ſit Ius Parochi ſaluum fore.

11 Quoniam frequentiſſima eſt in hac Diœceſi eorum copula, qui matrimonio iungendi ſunt, antequàm illud contrahant in facie Eccleſiæ; ideo diſtrictè eis prohibemus, ſub pœna viginti librarum ceræ, & in ſubſidium Excommunicationis, vt ante celebratum matrimonium, nulla inter ipſos intercedat familiaris conſuetudo; nec vnus in domum alterius accedat; vel alibi ambo ſimul habitent.

Quòd

Quòd ſi ante ritè contractum matrimonium, illud conſumare non erubeſcant, tanti flagitij abſolutionem Nobis reſeruamus.

12 Probabilis interdum ſuſpicio oritur, aliquem ex contrahentibus deceptum eſſe, vel non liberè in matrimonium conſentire: & tunc Parochus huiuſce dubij, vel ſuſpicionis Nos, aut noſtrum generalem Vicarium cautè commònefacere debet; vt matrimonij libertati opportunè occurramus.

13 Videant Parochi, ne in matrimonium iungant Peregrinum aliquem, ſeu quempiam alterius Diœceſis, ſine ſcripta noſtræ Curiæ licentia: ad quam obtinendam quiuis Exterus eidem Curiæ exhibere debet authenticam fidem ſui Ordinarij, vel generalis eius Vicarij, in qua de tribus Denunciationibus ritè adimpletis, deque nullis canonicis impedimentis obiectis, etiam per legitimam teſtium depoſitionem, apertiſſimè conſtet.

Ex Trib. S. Officij loc. cit.

14 Ita etiam ſi quis ad ſecunda Vota tranſire velit, aſſerens ſuam Vxorem, ſeu Virum morte occubuiſſe, Parochus ad Denunciationes ſecundi matrimonij non deſcendat, Curia Epiſcopali inſcia; vt hæc legitimis probationibus veritatem indaget, ac dubia penitùs remoueat.

15 Si contingat Aduenas aliquos Virum ac Mulierem intra fines alicuius Parochiæ noſtræ Diœceſis ſimul habitare, ad Curatum ſpectat eos comiter admonere de fide authentica veri matrimonij, intra legitimum tempus, exibenda; vt omnis Concubinatus ſuſpicio propulſetur. Si verò hi ſtato tempore fidem hanc oſtendere contemnant; vel non curent, certiores illicò Nos faciat Parochus; vt animarum bono proſpiciamus.

16 Qui Conſanguinitatis, vel Affinitatis impedimento detenti, Apoſtolicas Diſpenſationes aſſequuntur; illisq. iàm obtentis, antequàm coram generali noſtro Vicario illæ præſententur, ac neceſſario Decreto expediantur, ſi copulam inter ſe ſe habeant, noua omnino indigent Summi Pontificis Diſpenſatione; atque interim ſeparari debent.

Sac. Congreg. Concil. Trid. Declaratio Neapoli iam excuſſa.

quod

quod diligenter attendant Parochi, & Confeſſarij.

17 Contingit interdum in hac Diœceſi, Dominos temporales, Magiſtratus, atque alias infimo etiam loco natas perſonas, minis, aut pœnis adigere ſuos ſubditos, vel alios quoſcunque, ad matrimonia cum certis perſonis contrahenda, vel non penitùs contrahenda. Atque vt ex Voto id eis accidat, non verentur conficta quædam impedimenta, dum publicæ Denunciationes fiunt, contradicentes obijcere. quocirca Anathematis mucrone percutimus iſtos omnes, qui contrahendum matrimonium, vel eius libertatem, hoc pacto directè, ſiue indirectè, offendunt: abſolutione etiam Nobis reſeruata.

18 Non rarò etiam euenit, perditiſſimas quaſdam mulierculas perculſas odijs, inuidia tabeſcentes, ſeu inueteratæ, ac diabolicæ malitiæ ſtimulis adactas, Maleficijs, Incantationibus, alijſque flagitioſiſsimis artibus, Nuptos ad inſaniam, & furorem redigere; inuiſos inuicem reddere; vel in omnem coeundi vſum eneruare. Idcirco ſanctam Matrimonij copulam impijs præſtigijs (vt ſupra) impedientes; ſiue, vt impediatur, mandantes, conſulentes, procurantes, aut quouis alio modo adiuuantes, vel permittentes, ſint ipſo facto excommunicati; à Nobis tantummodo abſoluendi.

Vide ſupra ſeſſ. 1. cap. 5. d. 4. ex Conſtit. Greg. XV.

19 Accidit aliquando nonnullos Coniugatos, ſine legitima cauſa à Nobis probata, inuicem non cohabitare. quod cum non ſine graui populorum ſcandalo, & matrimonij iniuria intercedat, Parochi Nos ſemper huius rei certiores faciant; & eos à Confeſsionis, ac Communionis ſacramento reijciant. Miſſa tandem facimus decreta, quæ Matrimonij impedimenta attingunt; quoniam illorum notitia ad Iudicem potiùs, quàm ad ſubditos pertinet; ac paſsim explicantur in Summis.

De Extrema Vnctione. Cap. XII.

1 VEteratorem illum acerrimum humani generis Aduerſarium, qui continuò *tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret*, cum in agone ſui exitus anima anxiatur, varijs potiſsimùm technis perpetuam eius perditionem aucupari, innuit ſacra Geneſis; dum callidiſsimum iſtum ſerpentem hominis calcaneo inſidiaturum eſſe minatur. Propterea non extremas Parochorum partes eſſe intelligimus, cum eos ad Extremæ Vnctionis Sacramentum diligenter Aegrotis exhibendum, atque in tanto æternæ ſalutis diſcrimine verſantibus opportunam diuinæ gratiæ opem conferendam, pœnis grauiſsimis circumſtringimus.

1. Pet. cap. 5. verſ. 8.

Gen. cap. 4. verſ. 13.

2 **Elaborandum eſt igitur Curatis, vt nullus fidelium è vita decedat, niſi ſacramentorum auxilio munitus. Atque vt Extremæ Vnctionis Sacramentum vberiorem gratiam, pro maiori ſuſcipientium deuotione, producere queat; graui morbo affectis maximoperè expedit illud religioſè ſuſcipere, dum quiſque compos eſt mentis, ac nullo ſenſu caret. Quam ob cauſam Parochi, dum vehementi febre correptis Viaticum Chriſti Domini Corpus præbent, eiſdem impenſè ſuadeant, vt ſe Extrema Vnctione communiant, priuſquàm morbus ipſorum ſenſus magis hebetes reddat.**

3 Neceſſe eſt etiam, Parochum, quando deſignatam quamlibet Aegrotantis partem inungit, eam nouo ſemper Goſsipij, vel mollis ſtupæ globulo detergere; ac globulos ipſos viciſsim in Vaſe mundo reponere, vt ſtatim ac ad Eccleſiam remigrauerit, illos comburat, & cineres in Sacrarium attentè poijciat.

4 Quoniam in ſingulis Sacramentis Materia, & Forma eodem tempore concurrere debent, animaduertant diligenter Parochi, ne dum Aegroti oculos, ac cætera corporis membra, quæ paria ſunt, illinire volunt, Formam

Digitized by Google

totam, in eorum tantùm altero obliniendo, abſoluant; ſed vnctionem ipſam, & verba Formæ, ita ſimul diuidendo protrahant, vt ambobus oculis, ac reliquis eiuſmodi paribus membris integrè delinitis, Forma ipſa omnino expleatur.

5 Poſtquàm ſacroſanctum Viaticum, atque Extremam Vnctionem Aegrotantes piè ſuſceperint, Sacerdotes Parochiæ viciſsim, à Parocho incipiendo vſque ad vltimum, per horas mutuò diſtributas, deuotè ſemper aſsiſtant ijs, qui animam agunt, vſque ad extremum vitæ ſpiritum; ſub pœna carceris per tres menſes contra quemlibet tranſgreſſorem.

6 Ingraueſcente tandem morbo, atque omni ſpe vitæ Infirmo deſtituto, antequàm animæ Commendationis officium præſtetur, Curatus, vel alius Sacerdos, qui hoc Chriſtianæ charitatis munere fungetur, maximopere hortetur, atque excitet Aegrum, vt dum mente viget, contra verſutiſsimas Dæmonum imminentes inſidias, feruentiſsimos Fidei, Spei, Charitatis, aliarunque virtutum actus eliciat. Atque vt res tanti momenti, pro perſonarum omnium captu, melius agatur, ſubiectam formulam vernacula lingua conceptam annectimus: videlicet

Proteſta per li Moribondi.

7 Credi (fratello cariſſimo) fermamente tutti gli Articoli della Fede Chriſtiana, & ciò che crede, inſegna, & profeſſa la S. Romana, Cattolica, & Apoſtolica Chieſa? ℞. Credo.

Maledici, deteſti, reprobi, & condanni tutte l'empie hereſie, le quali maledice, reproba, deteſta, & condanna la noſtra Santa Madre Chieſa? ℞. Reprobo, & condanno.

Voi morire nella fermezza della Santa fede Cat-

tolica, come vero, & fedeliſſimo Chriſtiano? ℟. Voglio.

Ami di tutto cuore Iddio benedetto ſopra tutte le coſe, & deſideri grandemente d'amarlo con quell'ardentiſſimo affetto, col quale è amato, ſeruito, & riuerito da i Beati del Paradiſo?

℟. Amo, & deſidero.

Conoſci d'hauer offeſa Sua Diuina Maeſtà, l'Anima tua, & il proſſimo tuo più volte malamente? ℟. Conoſco.

Ti duoli di tante offeſe in qualunque modo commeſſe contro la ſuprema Maeſtà di Dio Signor Noſtro, contro l'anima tua, & contra il proſſimo?

℟. Mi doglio.

Ti penti d'eſſere ſtato così ingrato al Creatore, Redentore, & Signor tuo, di tanti liberaliſſimi beneficij à te conceduti, per ſalute dell'anima tua?

℟. Me ne pento.

Conoſci, che hai eſtremo biſogno della miſericordia infinita, & gratia d'Iddio, per la remiſſione, & total perdono di tanti peccati? ℟. Conoſco.

Speri, che Chriſto Redentore, & Signor Noſtro ti ſarà fauoreuole, acciòche entri in Paradiſo, per la ſua infinita clemenza, per li meriti della ſua acerbiſſima Paſſione? ℟. Spero.

Speri anco, che per l'interceſſione della Beatiſſima Vergine Madre di Dio, & vero refugio de Peccatori, & per le preghiere di tutti i Santi, & in particolare del Santo tuo Auuocato, & dell'Angelo

gelo tuo Cuſtode arriuarai à godere l'eterna gloria? ℟. Spero.

Sopporti patientemente per amor di Dio, & per conformarti di cuore con i patimenti di Gieſu Chriſto Crucifiſſo, & per penitenza de' tuoi peccati, i dolori & affanni, che ſoſtieni in queſta tua Infirmità? ℟. Sopporto.

Ti parti volentieri dalle miſerie, & moleſtie di queſto infelice mondo, per giungere all'allegrezze, & riposi eterni della Santiſſima Trinità, col mezo de gl'infiniti meriti di Gieſu Chriſto? ℟. Mi parto.

8 Formulam hanc Chriſtianæ profeſſionis in vltimo vitæ diſcrimine pronunciandę nemo Parochorum prætereat; quùm de ſumma rerum agatur, in qua (ita diſponente Domino) omnibus par pari referetur.

De Funeribus, Exequijs, & Sepulcris: Cap. XIII.

1 QVàm Deo gratum, ac nobis perutile ſit pium ſepeliendorum Cadauerum munus, nemini, qui Tobiæ librum luſtrauerit, ambiguum vnquam eſſe potuit. Angelus enim Raphael, *quoniam Dei opera reuelare, & confiteri honorificum eſt,* gratulans Tobiæ receptum oculorum lumen, ac diuini beneficij cauſſam afferens, inquit: *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino; & qui acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te; Et nunc miſit me Dominus, vt curarem te; & Saram Vxorem filij tui à Dæmonio liberarem.* Mira ſanè Dei

Tob. cap. 12. verſ. 7.

Ibid. verſ. 12. 13. & 14.

Digitized by Google

beneficentia; ſed quam pia in Defunctos Cura demerebatur; & quæ ex ſententia omnibus obtinget, qui non obſcurum hoc Chriſtianæ pietatis opus ſedulò nauabunt.

Sac. Cong. Epiſc. 5. Maij 1617.

2 Quamobrem ſi accidat in aliquo Diœceſis loco Aduenam quempiam, Peregrinum, vel pauperem Ciuem mortem obire, qui nullam ſibi Sepulturam elegerit, gratis intra Matricem Eccleſiam humetur.

Sac. Cong. Conc. in ſeſſ. 25. c. 13. 11. Dec. 1615. & 21. Maij 1618. ad Epiſc. Polinianeñ. & ad Vicariũ Bareñ 29. Iul. 1616.

3 Ita etiam, ſi quis ſine ſcripto, & coram duobus ſaltem teſtibus, in Regularium Eccleſijs Sepulcrum ſibi aſciuerit, ibidem tumulandus erit; dummodo Quarta funeralis Parochiæ perpetuò ſoluatur, eaque priuſquàm Cadauera efferantur.

Sac. Cong. Epiſc. ad Epiſc. Montis piloſi 1581.

4 Immo ſi vita functus mandauerit ſuum Corpus in Tumulum inferri à ſolis Regularibus, non idcirco proprius eius Parochus à funere repellatur, cui omnino intereſſe debet.

Sac. Cong. Epiſc. 12. Ian. 1604. & 26. Aug. 1616. ad Epiſcopum Senogalieñ. & alios.

5 Quocirca Regulares, cum Defuncto iuſta ſoluenda erunt, non ipſi ſolummodo, Exequias celebrantes, ad eius domum ſe conferant, ſed vna cum Parocho vocato ab eis iam, & expectato; vel altero eius Delegato; ſub pœna Eccleſiaſtici Interdicti. Quod ſeruent etiam Laicorum Confraternitates.

6 Indecorum tamen valde eſt, nec ſcandalo vacat, vt Cleri Procurator, ſiue alius Exactor, conſuetas Exequiarum Eleemoſynas coram frequentiſſimo populo cupidè nimis expoſcat: ſicut etiam ab ingrati, & parùm pij animi vitio non longè abeſt, vt Defunctorum Coniuncti, vel alij, ad quos hæc cura ſpectat, non ſine vehementi contentione, ac Iurgijs, funeris Eleemoſynam perſoluant. Quare & ille minus cupidus, & hi magis liberales, ſtatim, abſolutis Exequijs, prouidè ſuo muneri ſatisfaciant.

7 Ante ortum, vel poſt occaſum Solis, nemo ſepeliendus erit. nec, ſi accidat aliquem violentam, ſeu repentinam mortem oppetere, is ſtatim tumulari debet; ſed vigintiquatuor horis elapſis. At ſi è vita morbo affectus migrauerit, poſt duodecimam ſui Obitus horam in Sepulcrum inferri poterit.

Quo-

Digitized by Google

8 Quoties aliquis vita exceſſerit, mandet illicò Parochus tintinnatim dari aliquot Campanæ ſigna, Defuncti interitum indicantia; vt populus pijs orationibus eius animæ ſolicitè ſuffragetur.

9 Cum funus etiam celebrandum erit, aliquot Campanæ pulſibus Clerus conuocetur: atque ijs iàm editis, non amplius, quàm per ſemihoram expectandi in Eccleſia erunt ſinguli è Clero: qui deinceps vna ſimul bini bini, ſuperpelliceis induti, ac ſolus Parochus ſuper Cottam aſſumpta ſtola, progrediantur ad efferendum, & tumulandum Defunctum: munus verò hoc ſumma, qua par eſt, charitate, & deuotione obeant.

10 Ad funus ſingulorum Defunctorum, etiam ſi Paruuli ſint efferendi, conuocari debent quot quot ſunt è Clero. Atque ijs, qui legitima de cauſa funeribus non interſunt, pars nulla concedenda erit; ſed illa intereſſentibus accreſcat.

11 Dum Pueruli tumulandi ſunt, eorum Corpuſcula à Sacerdote ſuperpelliceum geſtante efferri debent; & Clericus Cotta etiam amictus, Crucem ſine haſta aſportans, præire debet. Sac. Congreg. Epiſc. ad Epiſcopum Gallipolit. 21. Martij 1589.

12 Archipresbyteris, Curatis, Cleris, Confratrijs, & quibuſuis alijs Eccleſiaſticis noſtræ Iuriſdictioni ſubiectis, nullo modo liceat locum aliquem ad Tumbæ vſum in eorum Eccleſijs concedere, ſine ſpeciali noſtra licentia; ſub pœna Eccleſiaſtici interdicti.

13 Inſcriptio nulla, ſiue Epitaphium Tumulis apponatur, niſi priùs à Nobis approbentur. nec Defunctorum corpora in defoſſato Eccleſiæ pauimento, aut in prominenti loco, recondi liceat: iuxta fel. rec. Pij V. Conſtitutionem ann. 1566. quæ incipit, *Cum primùm Apoſt.* Omnibus etiam nefas eſt Defunctum quenque in funere laudare, abſque ſcripta noſtra licentia.

14 Defunctorum Conſanguinei, præſertim Mulieres, & alij, qui funeris Exequias proſequuntur, illas ſingulari pietate cohoneſtare potiùs debent, quàm inhumano quo-

dam ſtrepitu, eiulatu, ac barbaris quibuſdam mulierculanrum cantilenis, Præficarum more, peruertere; vt perperam in nonnullis Diœceſis locis frequentatum eſt. A quibus omnino abſtineant omnes: aliàs Defuncti corpus etiam in media via deſtituendum eſſe à Portitoribus mandent Parochi; & tranſgreſſoribus Eccleſiæ ingreſſus per menſem interdicatur.

15 Defunctorum Cadauera in Eccleſias delata nedum attentè recognoſci, ſed nec etiam, ad Maleficium probandum, oculi momento conſpici à Iudicibus debent. Atque eo magis, ob hanc, vel aliam cauſam, eadem exhumari nequeunt: ſine noſtra, vel generalis Vicarij certiſſima facultate ſcriptis permiſſa: cum maternus Eccleſiæ ſinus ab ijs, quæ ad Cædes, aliaque improbè admiſſa inquirenda pertinent, quàm maximè abhorreat.

16 Perſonæ verò, quæ Eccleſiaſtica Sepultura prorſus carent, hæ ſunt: Videlicet

Hæretici.
Excommunicati.
Interdicti.
In ſingulari certamine interfecti.
Ex deſperatione ſibi mortem inferentes.

Notorij Blaſphemi in Deum, & Sanctos.	Si expreſſa Pœnitentiæ indicia, ſaltem in mortis articulo, non dederint.
Non Confitentes ſemel in anno, vel ſe in Paſchate non communicantes	
Manentes in publico mortali peccato	

Vſurarij Craſſatores Fures	Manifeſti, qui viuentes non ſatisfecerint; vel de futura ſatisfactione idoneè cauerint.

Atque hi omnes modò enumerati neque in Eccleſijs, neque in Cœmeterijs, vel Sacris alijs locis humentur; ſub pœnis à ſacris Canonibus ſtatutis, alijſque arbitrio noſtro exigendis.

Pieta-

17 Pietati, ac rationi ſimul valde conſonum eſt officium illud, quo Cleri omnes Diœceſis, (vt beneficij memorem, ac gratum teſtentur animum erga communem Paſtorem) ſtatim ac Nos, & Succeſſores noſtri ſummum diem obierimus, ſolemnes nedum Exequias intra maiorem Eccleſiam celebrandas frequentare debent; ſed quilibet etiam eorum Sacerdos ter ſaltem immaculatam Hoſtiam, in miſſa Defunctorum ritu peracta, ad Altare offeret; vt his ſacris litatis, peccatorum veniam, per Eccleſiæ ſuffragia, impetremus.

18 Neceſſe eſt etiam, ſtatim ac è corporis vinculis exſoluetur Epiſcopus; publicis indictis Supplicationibus, aliiſque pijs operibus, Deum Optimum Maximum continuò demereri; vt, fuſa vna omnium ad Cœlum oratione, dignum Antiſtitem ſuccedere velit. Trid. ſeſſ.24. cap.1.de Ref.

19 Commendatione tandem pleniſſimus eſt, atque omnino retinendus mos ille, quem vniuerſa Diœceſis religioſiſſimè ſectatur; vt, dum quilibet Sacerdos morte occubuit, beatæ eius vitæ opitulantes cæteri noſtræ Diœceſis Sacerdotes, diuinum miſſæ ſacrificium pro Defunctis celebrent: atque à Clero, in cuius gremio ille degebat, ſolemnes etiam Exequiæ perſoluantur.

SESSIO TERTIA.

De Cleri, ac Populi Reformatione, eorunque Miniſterio.

De Viſitatione Epiſcopi, Cap. I.

1 *Viſitationum omnium*, inquit Sacroſanctum Concilium Tridentinum, *præcipuus ſit Scopus, ſanam orthodoxamque doctrinam, expulſis hæreſibus, inducere; bonos mores tueri, prauos corrigere; populum cohortationibus, & admonitio-* Seſſ. 24. c. 3. de Refor.

Digitized by Google

monitionibus ad Religionem, Pacem, Innocentiamque accendere. Cætera, prout locus, tempus, & occaſio fert, ex Viſitantium prudentia ad fidelium fructum conſtituere. Quamobrem meum eſt hæc omnia accuratè, incorruptèque ſeruare: reliquorum verò partes ſunt, Exequutorum præcipuè noſtræ Viſitationis, iuſſa facere; ac cuilibet impoſita diligentiſſimè exequi; ſub pœnis in eadem Viſitatione conſtitutis.

2 In Generali Edicto noſtræ Viſitationis ſingula adamuſſim præſcribuntur, quæ à Nobis, atque ab alijs expreſsè obſeruanda erunt. Ideoque pro ſuperuacaneo, atque inutili habemus, illa ſemel atque iterum ſingulis annis promulgare. præſertim cum exſcriptum ipſius Edicti exemplum, in cuiuſlibet Cleri Archiuio cuſtodiendum, ſatis ſuperque ſit.

3 Illud tamen nequicquam prætereundum eſt, ab Epiſcopo Polycaſtrenſi, tanquam ſpeciali Sedis Apoſtolicæ Delegato, ſedulò viſitari debere Eccleſias, ſeu Cappellas omnes Religionis Hieroſolymitanæ in Diœceſi extructas: vt Sacra Congregatio Eminentiſſimorum PP. Conc. Trid. Interpretum Nobis reſcripſit; ac literarum Exemplum ſubijcimus; vt in poſterùm nullatenus id ambigendum ſit.

4 Exemplum literarum Sac. Congr. Conc. Trid.

A fronte

Reu.^mo Dño vti Fratri Dño
Epiſcopo Polycaſtrenſi.

Intus verò Adeſt ſigillum

Reu.^me Dñe vti Frater. Quando Amplitudini tuæ, ſicut cæteris Epiſcopis, adempta eſt facultas viſitandi Eccleſias Sancti Ioannis Hieroſolymitani, quibus nulla incumbit Cura Animarum, ampliſſimis priuilegijs à San. mem. Sixto V. eidem Religioni conceſſis; Sanctiſſimus Dominus Noſter, audita relatione Sac. Congr. Concilij, Amplitudini tuæ facultatem tribuit, vt, tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegatus, ad effectum vt infra, viſitare valeat omnes Eccleſias, ſeu Cappellas Religionis Hieroſolymi-

ſolymitanæ in ſua Diœceſi exiſtentes; Et Commendatario dictæ Religionis, alijſque Hieroſolymitanis Equitibus in iſta Diœceſi beneficia obtinentibus, terminum præfigat, intra quem Eccleſias ipſas reparatione indigentes modis omnibus inſtaurent; quo elapſo, & reparatione prætermiſſa, Amplit.^ne tua ex fructibus ipſorum beneficiorum, Eccleſiæ Apoſtolica auctoritate mandet, efficiatque, vt omnino reſarciantur. Et Deus Amp.^nem T. ſeruet incolumem. Romæ die 21. Iunij 1631.

Amplit.^nis T. R.^ma

Vti Frater

R. Card. Vbaldinus.

Dño Epō Polycaſtrenſi. *Fr.^s Paulutius S.Cong.^is C.Sec.^rius*

5 Qua Apoſtolica authoritate Nobis in hac re attributa vt meritò vteremur, in vna, atque altera generali noſtra Viſitatione hucuſque peracta, Eccleſias quaslibet Hieroſolymitanæ Religionis intra Diœceſim conſtructas diligenter viſitauimus, & complura Decreta in vulgus edidimus, pro illarum reparatione, ac cultu, necnon pro exacta Miſſarum celebratione.

De Archipresbyteris, & Parochis. Cap. II.

1 SI accuratè, vt par eſt, perpendant Curati leges ſingulas noſtræ Synodi, non illos profectò fugiet, præcipuam, atque optimam eius partem ad ipſos re vera pertinere. Atque adeo ſi hi officio ſuo minimè deerint, nihil virtutis in vniuerſa Diœceſi deſiderandum erit.

2 Quare ſolicito ſemper animo ſint Parochi in obſeruandis, & corrigendis enormibus, ac ſcandaloſis populorum criminibus: vt ſunt Hæreſis, Blaſphemia, Ars Magica, Maleficium, Sortilegium, Diuinatio, Superſtitioſæ Corruptelæ, Publica Vſura, Adulterium, Concubinatus, Violenta Coniugum Separatio, eorundem Copula in gradu prohibito, ſine legitima Diſpenſatione Apoſtolica, Feſtorum dierum Tranſgreſſio, Violatio Eccleſiaſticæ Immunitatis;

nitatis, Bonorum Eccleſiarum Vſurpatio, Fractio Ieiuniorum, atque alia id genus facinora, de quibus certiores Nos diligentiſſimè reddant: Ne, ſi ipſi graui deſidia tabeſcant, Nos etiam grauiter cum eis iudicio agamus, & ſanguinem de eorum manu requiramus. Quam ſtudioſiſſimam curam Parochis cum Vicarijs foraneis omninò communem eſſe decernimus.

3 Enitantur etiam Curati, quàm maximè poterunt, capitales Parochianorum inimicitias, atque inteſtina odia, Deo, & hominibus infeſtiſſima, quibus vniuerſa Diœceſis iniquiſſimè diffluit, Chriſtiano ex animo ſedari, ac penitùs aboleri; ne tot immaniſſima homicidia, atque horribiles animarum iacturæ quotidiè inualeſcant.

4 Cum Parochi inter miſſarum ſolemnia conſuetum Sermonem habent, primo, ac tertio die Dominico cuiuslibet menſis, vulgari lingua populo diſtinctè aperiant ſingula huius Synodi Decreta, quæ ad Laicos ſpectant; atque ita Concionem diſtribuant, vt intra anni curriculum vniuerſam Synodum explanauerint.

5 Alijs verò Dominicis, cæteriſque Feſtis diebus, poſt Offertorium, Sermonem inſtituant familiarem, ac planum: Thema deſumentes ab Euangelio in miſſa recitato: vel de vita, miraculis, ac rebus præclarè geſtis ab eo Sancto, cuius tùm memoriam Eccleſia veneratur, aptè, & congruenter dicant. ſed præſertim occaſionem ſemper arripiant concionandi de Virtutum præſtantia, ac vitiorum turpitudine: deque eorum præmijs, ac pœnis: de præcipuis Chriſtianæ fidei Myſterijs: de Eccleſiaſticarum Cenſurarum viribus, ac de malis, quæ inde ortum habent: nec non de rebus alijs, quæ ad æternam Salutem piè conducere poſſunt; quemadmodum Tridentina Synodus ſanctiſſimè ſtatuit; cuius propterea Decretum ſubiungendum eſſe cenſemus.

Trid. ſeſſ. 24. de Ref. c. 7.

6 *Vt fidelis populus ad ſuſcipienda ſacramenta maiori cum reuerentia, atque animi deuotione accedat, præcipit Sancta Synodus Epiſcopis omnibus, vt non ſolùm, cum hæc per ſe ipſos erunt*

erunt populo adminiſtranda, priùs illorum vim, & vſum, pro ſuſcipientium captu, explicent; ſed etiam idem à ſingulis Parochis, piè, prudenterque, etiam lingua vernacula, ſi opus ſit, & commodè fieri poterit, ſeruare ſtudeant, iuxta formam à Sancta Synodo in Catecheſi ſingulis ſacramentis præſcribendam; quam Epiſcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabunt: nec non vt inter miſſarum ſolemnia, aut diuinorum celebrationem, Sacra eloquia, & Salutis monita, eadem vernacula lingua, ſingulis diebus feſtis, vel ſolemnibus explanent; eadenque in omnium cordibus, poſtpoſitis inutilibus quæſtionibus, inſerere, atque eos in lege Domini erudire ſtudeant.

7 In quæ ſingula vigilanter incumbant animarum Curatores. Atque in ea populorum Crimina frequentius inſurgant, quibus homines magis, magiſque deditos eſſe dignoſcent. dum verò illos vitiorum vehementer arguunt, generatim, & cautè ſemper loquantur. Nec pro ſe, vel ſuo Clero Eleemoſynā quæritent. Neque tertiam horæ partem in ſermocinando prætereant; nam, ea elapſa, Vicarius foraneus, vel primus Sacerdos, dato campanulæ ſigno, eos iam finis admonere debet. Non ſinant etiam Parochi aliquam perſonam in Eccleſijs; ac multo minus in priuatis Oratorijs, ſiue Aedibus, aut Congregationibus, Concionem, vel Sermonem quemlibet habere, ſine manifeſta noſtra licentia; ſub excommunicationis pœna contra Concionantem, & arbitraria in Curatos id diligentiſſimè non aduertentes.

8 Inter Parochorum Curas reponimus, vt hi Tabellam vnam, in qua Miſſæ omnes, Anniuerſaria, cæteraque totius Cleri, ac cuiuſque Beneficiati onera deſcripta ſint; & alteram, vbi ſinguli Hebdomadarij, tam Sacerdotes, quàm Clerici, & Diaconi ſiluatici connotati appareant, è Sacriſtiæ pariete continuò dependere curent.

9 Habeant præterea qui curam Animarum gerunt Libros ſex diſtinctos, in quibus ſingillatim deſcribantur Baptizati, Confirmati, Matrimonio coniuncti, publicè proclamati ad Sacros Ordines ſuſcipiendos, Defuncti, atque

Acta

Digitized by Google

Acta generalium Viſitationum. ijdem libri non alibi, quàm intus Sacriſtiæ Archiuium tutò occludantur.

10 Formulæ verò, quas in his omnibus adnotandis adhibere debent Curati, præſcriptæ iàm adſunt in nouo Rituali Romano, cui aſſiduè ſtudeant, illiſque perpetuò vtantur.

11 Feria quinta in Cœna Domini è ſuggeſtu, vel ab Altari maiore, quilibet Parochus vernacula lingua ediſſerat populo non ſolùm Cenſuras in hac Synodo contentas, ſed Excommunicationes etiam ſingulas Bullæ Cœnæ, quam poſtea Tabellæ affixam in conſpicuum aliquem Sacriſtiæ locum deferat; ibidemque appendat; vt in omnium conſpectum facilè venire poſſit.

12 Qùum mulier aluo continens fœtum, qui iàm ad nonum menſem pertingat, in non paruo periculo verſetur, expedit illam ſua peccata confiteri, ac ſe diuina Euchariſtia munire. Quemadmodum & Puerperam planè decet, cumprimùm domo egreſſa fuerit, ad Parochiam Deo grates actura, atque à Parocho benedicenda, ſe religiosè conferre. Idcircò huius rei monitis ambæ à Parocho inſtruantur. Qui Pupillos etiam, Aegrotos, ſenio confectos, cæteraſque miſerandas perſonas ſæpe ſæpius viſitet, ſoletur, eiſque pro ſua virili parte opem ferat. Sed Aegris maximè mœrorem abſtergat; quibus cum amabiliter loquens, eos ad confitenda peccata, atque ad rem domeſticam rectè diſponendam inducat, dum ſenſus, & ratio vigent.

13 Iiſdem quoque Animarum Curionibus onus imponimus ſtudioſæ collationis caſuum conſcientiæ, vt vocant. Habent enim ſinguli noſtræ Diœceſis Cleri præſcriptum de ijs diſſerendi Inſtitutum, à quo minimè recedant. ſed ſingulis diebus feſtis per primam ſemihoram agant de Cæremonijs Sacris, deque Rubricis Miſſalis, Breuiarij, ac Ritualis Romani: per aliam item ſemihoram de Caſibus Conſcientiæ: poſtrema denique ſemihora per capita explanari debent Conſtitutiones noſtræ Synodi. quas ſinguli

guli

Digitized by Google

guli ijdem Cleri in vernaculam linguam, intra ſex menſes, diſtinctè vertant; vt hæ ingenio etiam tardis planiſſimę ſint.

14 Parochum dies atque noctes reſidere ita neceſſe eſt, vt planè ei interdictum ſit ſæcularibus negotijs detineri, & huc, atque illuc licenter vagari. eo magis, ſi hiſce occupationibus implicatus, haud rarò cogatur extra Parochiam noctem agere. Quare nemo abſens à cura alibi pernoctare audeat, abſque noſtra licentia; ſub grauiſſimis pœnis.

15 Videant Curati, ne apud Parochiales ſuos prauus aliquis liber à Romàno Indice improbatus lateat: ſiue alius venalis liber, licet puſillus, circumferatur, priuſquàm ipſi Catholicæ Fidei eum planè conſonum, nec vllo pacto obſcœnum eſſe optimè nouerint; ne homines eorum lectione à Chriſtiana Pietate, vel probis moribus abducantur.

16 Suadendum ampliùs eſt Parochianis, vt Aquæ benedictæ Vaſculum apud Cubile quiſque domi habeat; eaque religiosè vtatur manè, cum expergefactus, muniens ſe Crucis ſigno, Lecto exurgit; ac quoties imminens aliqua Satanæ tentatio vrget. Atque, vt populus luſtralis aquæ deuotione magis inflammetur, ſingulis diebus Dominicis, antequàm Parochialis miſſa inchoetur, illam ſale reſperſam publica in Eccleſia pio ritu benedicat Curatus; eandemque Clero priùs, deinceps Populo irroret.

17 In annua tandem Domorum benedictione, quæ ante Paſcha recurrit, profanę Meretricum, publici Peccatoris, & eius, qui elapſo anno Euchariſtiam non ſumpſit, Domus Aqua benedicta nullatenus conſpergantur. Neque ſacro die Purificationis eiſdem Candelę, aut Olearum rami Dominica Palmarum diſtribuendi ſunt.

De Officio Vicarij foranei. Cap. III.

1 QVamuis varijs in locis noſtrę Synodi Vicarijs foràneis leges ferantur, quarum prę ſcripto ſe ipſos, atque alios regant; hic tamen certa eis alia ad rectam ſui

Officij

Officij normam pręcepta trademus, vt probè intelligant maximam Synodi obſeruationem ab ipſorum ſedulitate pendere.

2 Pręſertim ſciant Vicarij foranei non ſuum eſſe per conniuentiam, aut amicitiam, vel reſpectum; ac, multò minus per turpem quęſtum, aliorum culpas remittere; ſceleris pœnam pręterire; veniam dare; & quoquomodo excuſatum habere: Nam delictis ęquo animo ignoſcere, vel ſuccenſere, ad Epiſcopum ſpectat.

3 Quapropter Iudicis quodammodo perſonam incorruptè induant; querelas vltrò excipiant; & aliorum crimina diligenter inquirant; teſtes ſtudioſè examinent; ac legitimas ipſorum depoſitiones, ſiue Proceſſum, vt aiunt, ad Epiſcopalem Curiam fidiſſimè, atque illicò mittant. Cui muneri ſi, per grauem negligentiam, aut fraudem, aliquando deſint, pœnam priuationis Officij, & ſuſpenſionis à diuinis, tanquam corrupti Iudices, & minus digni Sacerdotes incurrent.

4 Libellum, etiam conficiant, in quo fideliter annotent pœnas ſingulas, quę in dies ab ipſis exiguntur ob feſtorum dierum violationem, vel quamcunque aliam ob cauſam eis permiſſam; ſub pœna carceris per tres menſes.

5 Inuigilent Clericis, ne ſęcularia negotia exerceant; neuè laicarum Vniuerſitatum comitijs ſe ſe immiſceant; quùm illos interdum in populi Conuentum, quem Parlamentum vocant, temerè ſe intruſiſſe, ac publicam quietem perturbaſſe, Nobis exploratum ſit.

6 In lite, quę alicui, vltra triginta carolenos, intenditur, fas eſt Vicarijs foraneis iudicio breuiter agere, ſine peculiari noſtra licentia: aſcita tamen ſemper alicuius Iureconſulti ſententia, ſi foraneus ipſe V. I. D. non ſit.

De Officio Cantoris. Cap. IV.

1 QVęcunque ad Diuinum Officium ritè pſallendum; ad Sacras Chori cęremonias, elegantiam, & ordinem;

dinem; ad ſilentium, obſequium, atque ad animi deuotionem pertinent, in Cantoris officio ſita eſſe cenſentur. Ideoque videant Cantores quantum officij ſuſtineant; ac ſe ſe grauitate, & prudentia prętantes oſtendant: quùm perpetui Cęremoniarum Magiſtri ſint, propterea in noui Miſſalis, Breuiarij, ac Cęremonialis Rubricis diù verſati, ſacrorum Rituum arte polleant: ac tàm in Miſſę ſolemnis, quàm Veſperarum celebratione, omnia ſuo loco apparata dirigant, & ad nutum, circumſpiciendo, componant.

2 Intelligat etiam Clerus à ſe omnia Cantoris iuſſa, quę ad cultum, atque exercitationem Chori ſpectant, expeditè facienda eſſe. Ac pręſertim Clerici morem ei alacriter gerant.

3 Studeant diligenter Cantores noſtris Conſtitutionibus, quas de Horis Canonicis ſupra tulimus, eáſque vigere curent. Præuideant Calendarium, ſiue Ordinem Romanum diuini Officij, ac Miſſę quotidie recitandę, & ſtatas iam horas obſeruent. Seſſ. 1. cap. 1.

4 Dum Officium inchoandum eſt, & *Pater noſter, Aue Maria*, ac *Credo* ſecretò dicuntur: Dum *Gloria Patri* &c. ſemper profertur: dum Sanctiſſima Trinitas in fine Hymnorum inuocatur; & quoties nomen IESV enunciatur, quilibet aſſurgat, & caput profundè inclinet. Porrò Canonicus hebdomadarius graui, ac ſonora voce Matutinum, cęteraſque Horas aggrediatur, & interim omnes ſe Crucis ſigno communiant. Abſolutiones etiam, Benedictiones, Capitula, & Orationes idem Hebdomadarius pronunciare debet.

5 Antiphonarum Pręcentores, & vnus atque alter, qui ab vtroque Chori latere in medium deſcendit ad Reſponſoria, & Verſiculos pręcinendos, ne in ancipiti Clerus verſetur, à Cantore ipſo in diem pręſignandi erunt: ab eoque dato ſigno, è ſuis ſedibus ad librum modeſtè ſe conferre debent.

6 In exordio Miſſę canendę, Sacerdotes, qui in Choro adſtant, bini bini inter ſe ſe Confeſſionem ſubmiſſa

voce faciant. Ita etiam dum *Gloria in excelſis*; *Symbolum Apoſtolorum*; *Sanctus*; & *Agnus Dei* concinuntur: dummodò hi canere non teneantur. In Miſſis ſolemnibus, qui Epiſtolam, & Euangelium canent, ab eodem Cantore deligantur. Subdiaconus verò, qui Miſsę cantatę, Sacris veſtibus indutus, de more inſeruit, continuò ab lęua Celebrantis aſſideat, nec à media Miſsa in locum Diaconi, atque hic in ſedem illius viciſſim ſe conferat; vt hactenus in hac Diœceſi perperam vſitatum eſt. Pręterea, dum Miſsa canitur, nullus Clericorum, & multò minus Sacerdotum, abſens à Choro inter laicos maneat. ita etiam quando Clerici Concionem audiunt, in loco eis deſtinato, & à ſæcularibus remoto permaneant.

7 Miſſæ Cantatæ ab Archipresbytero, vel à Cantore, prout apud quemlibet Clerum in more poſitum eſt, celebrentur, nec iurgia interſint.

8 Præcipua Cantoris Cura eſt pro viribus præſtare, ne librorum, quibus aſſiduè opus eſt ad communem vſum Chori, vllus vnquam deſit; atque vt ſingulæ eorum paginæ conglutinatæ, nec minimùm conſciſſæ ſint; neque eis extra Chorum aliquis priuatim vtatur.

9 Cantore iuſta de cauſa abſente, primus Cleri Sacerdos Chori Cæremonijs ita præſit, vt nullæ Cantoris partes deſiderentur.

10 Planum Eccleſiaſticum Cantum, quem firmum vocant, magis quàm Muſicum concentum, quem figuratum appellant, foraneus Clerus probè noſcere debet; vt ſaltem in Choro non celeuſma emittere, ſed grauiter canere audiatur. Vt autem quiſquam eiuſmodi Cantus quàm ſtudioſus ſit, iniungimus cuilibet Clero, vbi decem aderunt, vt Muſices Magiſtrum honeſtis ſtipendijs, intra quatuor menſes, conducant, ſub pœna viginti aureorum. Alijs verò minoribus Cleris hoc idem paternè ſuademus.

De

De Officio Sacriſtæ, ac ſeruitio Eccleſiarum: Cap. V.

1 STudium omne Sacriſtæ in eo potiſſimùm verſari debet, vt ſingulæ Veſtes, Ornamenta, Vaſa, atque his ſimilia ſacris miniſterijs dicata, ita decentia, concinna, ac nitida ſint, vt animi deuotionem, ac reuerentiam omnibus facilè concilient.

2 Quocirca ſæpiſſimè Veſtes, Sacerdotum Paramenta, cæteraque ornamenta Sacrorum obſeruari debent; ne ſordida, vel inculta; ne diſciſſa, vel diſluta; ne proiecta, aut confuſa, vel minus apta, atque alijs ridicula ignauiter vileſcant.

3 Corporalia quater ad minus per annum: Purificatoria, & manuum Mappulæ, qualibet hebdomada: Altarium Linteamina, Albæ, Amictus, per menſem: ac Superpellicea, binis ſaltem menſibus, abluantur.

4 Cauendum eſt ne Purificatoria parùm munda Lixiuio dentur, priuſquàm ſemel, atque iterum abluantur aqua in Sacrarium deijcienda.

5 Quolibet manè puriſſima aqua impleri debet Labrum Sacriſtiæ ad perluendas manus:mundumque Manutergium ſingulis ſaltem ſabbatis apponatur.

6 Vnoquoque etiam ſabbato Sacriſta Eccleſiam verrendam; & Aquam Luſtralem in ſuo fonte renouandam eſſe ſtudeat.

7 Hoſtias auxilio vnius Clerici hebdomadarij, ſingulis quoque ſabbatis mundiſſimas conficiant Sacriſtę. Atque id munus præſtent intra Sacriſtiam, ſiue in altero Eccleſiæ loco magis apto, ac nullatenus domi ſuæ, vel alibi.

8 Altaria ſuis Pallijs colorum, qui temporum varietati congruunt, à primis Veſperis exornentur: Altarium etiam Pallijs celebrantium Planetæ omnino reſpondeant.

9 Cunctis viribus enitantur Sacriſtæ nunquam ad Al-

tare Sacerdotes accedere, niſi Candelabris lumina iam impoſita, Campanula, funalis Cereus, Vrceolique miniſtratorij paratiſſimi ſint. Atque hæc nullo modo per Altaria circumferantur, Miſſa nondum abſoluta. quemadmodum nec Candelæ niſi poſt Miſſam extinguantur. & Clericus Celebranti deſeruiens nunquam non aſſiduè ſuperpelliceo indutus exiſtat.

10 Non ſinat Sacriſta Indumenta, Miſſalia, Calices, Ornamenta, Vaſa, aliamque, exiguam etiam, Sacriſtiæ ſupellectilem omnibus communem, priuatim à quopiam detineri; ſed omnia proprio attributa loco cuſtodiat.

11 Si quis rem propriam ſacris miniſterijs deſtinatam priuata cuſtodia continere velit, illam intra Sacriſtiam, & non domi, aut alibi, in ſuam Arculam recondat.

12 Atque omni induſtria contendant Sacriſtæ Laicos omnes à Sacriſtijs procul eſſe; ibique etiam cunctis modeſtiſsimum ſilentium indici.

13 Campanas Sacriſta, ſeu alter eius vice, pulſet ſuis ſemper horis; vt editis illarum ſignis, Matutini, Miſſæ Conuentualis, Veſperarum, cæterarunque particularium deuotionum, quas ſupra retulimus, opportunum tempus facilè innoteſcat.

Seſſ. 1. c. 10. & c. 4. 5. & 6.

14 Serò diei ante ſingulas Sanctorum ſolemnitates, poſt ſolitis campanæ pulſibus ſignificatam *Aue Maria*, ad redigendam populo in memoriam inſtantem Celebritatem, armonico ſono Campanas omnes percuti decet.

15 Dum in Choro feſtis diebus canitur *Te Deum laudamus*, detur primum Campanæ ſignum pro Miſſa ſolemni; ſecundum edendum eſt ad *Benedictus*; tertium denique ſignum, quando recitatur Tertia.

16 Ante Miſſam in Aurora cuiuſlibet diei aliquot Campanæ pulſibus præmoneatur populus inſtare iàm tempus primæ Miſſæ celebrandæ; vt ad illam ſedulò conueniat.

17 Reijciat quoque Sacriſta ab Eccleſia quærulos Quæſtuarios, atque extra fores omnino ſiſtat. Deambulantes, colloquentes, peragentes negotia, ac data opera dor-

dormientes, ab eadem longiſſimè arceat, & Canes, cæteraque Bruta Animantia abigat.

18 Primi ſemper Sacriſtæ ad Eccleſiam accedant, ac poſtremi ab ea recedant, poſtquàm ibi aſſiduam ſuam operam diligentiſſimè dederint. & præcipuè vt in Altari maiore, cum diuina celebrantur officia, duæ ſaltem Candelæ colluceant, ac, dum eadem ſolemni ritu canuntur, quatuor ad minus faculæ effulgeant.

19 Obſeruet Sacriſta num à Celebrantibus, ſtatim peracto Sacrificio, Miſſæ fideliter in conſuetum librum quotidie referantur; vbi ſuum nomen quiſque ſubſcribat. Atque inſuper curet vna cum Parocho eundem librum ad Curiam noſtram per bimeſtre tranſmitti. Supra, ſeſſ. 1. c.9.dec.16.

20 Sacriſtam alternis annis decernant Cleri. & hunc, quantum in eis ſitum eſt, Sacerdotem, vel ſaltem in ſacris conſtitutum eligant. idque etiam officij, prout apud quemlibet Clerum in vſu eſt, nemo detrectet; ſub pœna carceris per tres menſes.

21 Vt autem omnis & ſtudio ſuo, & præmij gratia, onus hoc libentiſſimè ſubeat, Sacerdos Sacriſta ſupra integras diſtributiones, dimidiam alteram earundem partem nanciſcatur. quòd ſi fortè Sacriſta alibi de more, cum Sacerdos non ſit, diſtributionibus nequicquam gaudeat, tunc dimidiam quoque partem lucretur earum diſtributionum, quas Sacerdos acquirit.

22 In ijs, quæ ad Sacriſtæ officium attinent, eum alijs modeſtè imperare poſſe permittimus: ac pœnas etiam imponere; dummodo eæ vltra quinque ceræ libras non inferantur. Queat præterea Sacriſta Clericos contumaces in carcerem detrudere, & Vicarium foraneum ſtatim adire; vt teſtes examinet, & Inquiſitionem ad Nos celeriter mittat.

23 Interdum Sacriſtæ partes in re aliqua deſiderantur, non tàm eius vitio, quàm Præpoſiti, ſeu Procuratoris Cleri auaritia: quod ne in poſterùm eueniat, in promptu ſemper Præpoſiti erogent Sacriſtię ſumptus; ſub pœna trium aureorum.

Digitized by Google

De Officio Præpoſiti, ſeu Procuratoris Eccleſiarum. Cap. VI.

1 PErmagni ſanè refert à Præpoſito, ſeu Procuratore Cleri rem Eccleſiaſticam diligenter agi; ne illa deterior fiat, vel occupetur; atque vt eius Cenſus opportuna diligentia exigantur.

2 Et quoniam nonnullorum auaritia, ac fraude circumuentas inuenimus aliquas rerum Eccleſiaſticarum conductiones, ideo nefas ſit Præpoſito, ſeu alteri eius Coniuncto, vſque ad tertium gradum excluſiuè; ac etiam cuilibet alteri noſtro Subdito, conducta habere prædia, ſiuè alia Eccleſiarum bona; neque expreſſo, neque de induſtria ſuppreſſo, & palliato proprio nomine; ſub pœna falſi.

3 Dum verò illa locantur, non vltra triennium; ac non niſi ter accenſa, atque extincta Candela, voce Præconis, plus offerenti, & vltimo licitatori, abſque vlla fraude, vel colluſione, dentur.

4 Legem hanc de triennali locatione ſartam, tectamque eſſe velint reliqui Beneficiati, atque miniſtri Confratriarum, Montium Pietatis, Hoſpitalium domorum, ac Laicarum Congregationum. qui bona nulla locare audeant aſſertis Patronis, ſeu Cenſuarijs Beneficiorum, nec Præfatis ſuis Conſanguineis, vel Affinibus; ſub pœna nullitatis Contractus, ac duodecim etiam aureorum.

5 Porrò hæc eadem bona nullo pacto cum alijs tranſigantur ſine ſpeciali noſtra licentia in ſcriptis commiſſa; ſub eadem pœna.

6 Quòd ſi accidat illa ad præſcriptam normam locari non poſſe; atque adeo Eccleſias ipſas non ſolùm locationis iacturam facere; ſed eadem etiam bona in peius ruere, tunc, vt omnia ſint integra, liceat ea Eccleſiaſticæ perſonæ plus offerenti, per triennium, concedere: dummodo per alterum triennium eidem non permittantur; & Capituli, ſeu

ſeu alterius pij loci Conſenſus, per duas Suffragiorum partes, intercedat; ſub eadem pœna.

7 Ipſa etiam Capitulorum, particularium Eccleſiarum, ac piorum omnium locorum bona, quorum Indices, ſeu Inuentaria Actis primæ generalis noſtræ Viſitationis inſerta ſunt, ſingulis annis Exploratores duo, à quouis Capitulo, Eccleſia, ac pio loco deſignandi, ſtudioſè recognoſcant; & an bene culta, reparata, atque à nemine vſurpata ſint, Epiſcopum commoneant; vt is Eccleſiarum damnis, ſiue incommodis proſpiciat, & in negligentes meritò animaduertat.

8 Cenſuum, Obuentionum, Decimarum, aliorumque reddituum Exactio ad Præpoſitum, atque ad duos alios Decumanos, in annum à Clero deſignandos, ſpectet. Ac nullo pacto Decimæ per Parochianorum capita diſtributæ à Sacerdotibus alijs colligantur.

9 Atque adeo frumenta omnia è communi maſſa inter Clerum diſtribuenda, ſiue illa è Decimis, ſiue à Prædijs, vel à quacunque alia Exactione, proueniant, in vnum miſceri debent, aſſeruarique in Horreo communi; vt pro rata diſtribuantur.

10 Conficiat Præpoſitus libellum accepti, & expenſi, quem deinceps, elapſo ſuæ Adminiſtrationis anno, Ratiocinatoribus ad ſubducendum calculum exhibeat. atque, initis rationibus, Aes omne alienum, intra menſem, perſoluat; ſub pœna ſex aureorum.

11 Vt cautiùs Parochialium Eccleſiarum,& piorum omnium locorum indemnitati,atque aliorum,qui Decimas,vel pretium aliud Eccleſijs debent, ſaluti conſulatur, iubemus omnium Eccleſiarum Præpoſitis, alijſque locorum piorum Procuratoribus,ſub viginti quinque librarum Ceræ albæ pœna, ſingulis cuiuſuis anni primis Quadrageſimæ Dominicis exhibere Confeſſarijs, etiam Regularibus, ſchedulam eorum nominibus connotatam, qui nondum conſuetas Decimas, Cenſus, vel pretium aliud totum Eccleſiaſticis perſoluerunt; vt ſacramentalis Abſolutionis Benefi-

I 4 cium

cium eis nunquam impendatur, niſi exactè ſatisfecerint: dummodo eis ſuppetat, vnde Creditoribus per nomina reſpondeant. quod ab Epiſcopo determinandum eſt; ſub pœna ſuſpenſionis ab adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ, contra Confeſſarios, qui contrafaxint, & Eccleſiarum Debitores aliter abſoluerint.

12 A Præpoſiti onere immunes tantùm ſunto Dignitate præditi, & Vicarij foranei. Cæterùm eius Electio per annum ita alternis vicibus habeatur, vt à nouiſſimo Sacerdote, vſque ad ſupremum percurrat.

De Beneficijs, Bonis, ac Iuribus Eccleſiarum. Cap. VII.

1 CVm adeo tenues ſint Beneficiorum noſtræ Diœceſis prouentus, vt vix aliquis reperiatur, qui ea facilè impetrare velit. ac proinde Patroni ſæpenumerò bona Beneficiorum, Cappellarum, atque Altarium, varijs artibus occupantes, eo prætextu vſurpant, quòd ipſi Miſſarum, aliorumuè onerum Eleemoſynas, Rectorum vice, erogent, atque omnibus ſatisfaciant. Quo fit, vt diuturni temporis lapſu eadem Eccleſiarum bona inter ſæcularium patrimonia computentur; Miſſarum celebratio ceſſet; Animarum Suffragia depereant; & Beneficia ipſa extinguantur. Hanc ob cauſam omnes, ac ſingulos grauiter, ſub excommunicationis pœna, monemus, vt, ſi bona aliqua Eccleſiaſtica iam enumerata, vel alia, atque alio modo detineant, occupent, & vſurpent, ſtatim illa reuelare, dimittere, ac liberè tradere velint noſtris Vicarijs foraneis: quorum intereſt Nobis rem hanc minutim renunciare.

2 Interim Beneficiati ipſi, ſub pœna priuationis fructuum vnius anni, à menſe, poſt promulgatam hanc Synodum, ad Nos certò deferant, num Patronus quiſpiam, vel alter ei Coniunctus, ſiue Perneceſſarius, bona aliqua Beneficiorum, Cappellarum, atque Altarium, ſtabilia, vel mobilia;

bilia, etiam Conductionis titulo, retineat, poſſideat, occupet, & quo quo modo habeat.

3 In varijs Eccleſijs noſtræ Diœceſis ſe ſe oculis offerunt Altaria debitis ornamentis denudata: eorunque redditus adeo exiles inueniuntur, vt ne vix quidem Miſſarum oneri ſuppetant. Huc igitur cunctas vires conferant Patroni, vt illa infra tres menſes, poſt Noſtræ Synodi promulgationem, ſatis dotata remaneant; ne quid neceſſarijs ornamentis, aut conſtitutæ Miſſarum celebrationi, vel minimum, deſit: aliter noui Compatroni, qui Beneficiorum dotem augeant, à Nobis aſſociandi erunt; vel ea alteri abſolutè concedemus; ſiue alijs Beneficijs vnienda curabimus, & Altaria ipſa funditùs euertentur; ne in Eccleſijs locum aliquem fruſtra, ac ſine diuini cultus decentia, occupent.

4 Non rarò accidit Parentes, Fratres, Conſanguineos, aliosque Clericorum Coniunctos, idcirco maiori Collectarum onere premi, quòd hæ ab Eccleſiaſticis illorum Propinquis exigi non poſſunt. ideoque Affinium capita iniquè onerantur, & à Clericis ipſis indirectè extorquetur, quod directè accipi nequit. Cum itaque prauis hiſce artibus Eccleſiaſtica Immunitas vndique violetur, Excommunicationis fulmine Laicarum Vniuerſitatum Miniſtri, ac Domini Temporales iſta mandantes, ſiue conſulentes, paſſim, ac meritò conſternantur. Deſinant ergo artificia huiuſmodi vafrè moliri. neque alijs inſidijs Clericorum Coniunctos quotidie diuexent; ſed omnes æquo animo videant, atque ærumnis extrahant; ne Eccleſiaſticis Cenſuris perpetuò innodentur. cap. Principes vbi gloſſ. 23. q. 5.

5 Sinant etiam Domini Temporales liberè à Vaſſallis defendi publica ſuarum Vniuerſitatum Iura; quùm defenſio eis Iure Diuino, atque humano planè conueniat. In quam ij etiam iureiurando adiguntur. At ſi Barones contrauenerint directè, vel indirectè, eorum culpa non ab alio, quàm ab Epiſcopo abſolui queat; vt damnum, quod ab ea ortum habuit, altiùs indagari & compenſari debeat. cap. Reg. Officium 22. q. 5. cap. Militare ibid. q. 1.

6 Excommunicatione Papæ reſeruata, & diris maximis Trid. ſeſſ. 22. c. 11. de Ref.

Digitized by Google

mis deuouentur omnes, & ſinguli, qui occupant, & vſurpant Bona, Iura, Actiones, Fructus, Emolumenta, Obuentiones, Subuentiones, Cenſus, Redditus, Inſtrumenta, Acta, Scripturas publicas, vel priuatas, & Iuriſdictiones cuiuſuis Eccleſiæ, ſiue alterius pij loci; per ſe, vel per alios; vi, aut timore incuſſo; ſeu etiam per quaſcunque ſuppoſitas perſonas; aut quacunque arte, vel quæſito colore in proprios vſus conuertunt.

7 Et generaliter Anathemati ſubiacent omnes, & ſinguli, qui ſurripiunt res ſacras è loco Sacro; vel rem profanam è loco Sacro; aut rem Sacram à loco non ſacro; etiamſi ruta, & cæſa alicuius pij loci diruti ſint: dummodo damnum notabile exiſtat.

8 Qui ſcienter etiam, ac doloſè ita incidunt Arbores fructiferas Eccleſiarum, vel alterius pij loci, vt hic, aut illæ, notabiliter lædantur, excommunicationem incurrunt.

9 Parochiali aliqua Eccleſia vacante, protinus Vicarius foraneus illius loci; vel, ſi hic non adſit, primus eiuſdem Eccleſiæ Sacerdos, coram probis Viris ipſiuſmet Oppidi, Inuentarium bonorum omnium mobilium, ac Scripturarum, quæ ad Parochiam attinent, ſumma cura deſcribat: eaque nemini tradens, ſine propria licentia Epiſcopi, vel Vicarij generalis, fideliter conſeruet.

10 Idem Vicarius foraneus, aut primus Sacerdos, Defuncti cuiuſuis Clerici Bullas, Scripturas, & quælibet Eccleſiaſtica monumenta ad Noſtram Curiam, vel Eccleſiam quamcunque ſpectantia, vnius menſis ſpatio, poſt illius obitum, ab Extincti Conſanguineis, vel quopiam alio exquirat; ſibique aſſumens ad Nos fidiſſimè deferat.

11 Qui, vt vacans Eccleſiaſticum Beneficium obtineat, Commendatitias quorumcunque literas Nobis defert, ſtatim ab eo conſequendo; & ab alijs etiam Beneficijs adipiſcendis, per annum, eiectus ſit. Maximè verò, ſi Parochialem Eccleſiam vacare contingat. Ad quam concurrere, vel non concurrere ſi nonnulli ſibi inuicem, in alicuius commodum, depaciſcantur: aut ſi quis blanditijs, aliaque

amici-

amicitiæ dedita opera, & exquiſitis modis Socium à Concurſu remoueat; hos omnes ad Parochiam impetrandam inhabiles eſſe declaramus.

12 Excommunicationem præterea interminamur ei, qui directè, vel indirectè; minis, dolis, promiſſis, aut quibuſcunque alijs malis artibus, quempiam ad concurrendum paratum exturbat, impedit, retardat; ne Examini ſe ſubijciens, Parochiam, vt magis idoneus, acquirat. Præterquamquod Perturbator iſte damnum non concurrenti illatum reſarcire debet.

13 Examinator tandem, qui, ante Examen, ad Animarum curam concurrentem eorum notitia clam inſtruit, quæ poſtea in publico Examine ab eodem repoſcet, aditum ad illud non habeat; eique Nos Officium perpetuò adimimus.

De Confratrijs; Montibus Pietatis, Hoſpitalibus, alijſque pijs Laicorum locis. Cap. VIII.

Quæribundæ Piorum locorum voces, atque ærumnoſiſſimæ curæ, ita acriter apud Nos aſſiduè contendunt, vt nihil magis intentum Paſtoris animum vehementer pungat, ſtimulet, exagitet. Optantes igitur mirum in modum tot tantiſque ſolicitudinibus liberari, non pauca ſtatuimus, quæ ad rectam eorundem locorum adminiſtrationem paruo negotio conducere poſſunt.

2 Magiſtri, Gubernatores, Oeconomi, Procuratores, & quilibet alius Adminiſter Confratriarum, Montium Pietatis, Hoſpitalium domorum, Congregationum, ac piorum omnium locorum quotannis eligantur, omnino à Natiuitate B. Virginis, per totam eius Octauam, à maiori parte Suffragiorum; quæ ſecreta ſint; & electionibus interſint Vicarij foranei locorum Noſtræ Diœceſis.

Sac Congreg. Epiſc. ad Cardin. Creſcen. Epiſcopũ tunc Reatinum. 21. Maij 1616.

3 Iidem Electi in Piorum locorum Adminiſtros, Iuramentum

mentum

mentum præſtent fideliter miniſtrandi in manibus eorundem Foraneorum, intra quatuor dies, poſt electionem; nec munus ſuum obeant, priuſquàm Electio ipſa ab Epiſcopali Curia probetur; neque vltra annum officium vſurpent. At ſi, elapſo anno, accidat eos, ad quos attinet noua Electio, illam vltra dies octo protrahere; tunc qui Officium intermiſerunt, ſtatim hoc innuant Vicarijs foraneis; vt Epiſcopum certiorem faciant.

Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 9. 4 Cum Piorum locorum Adminiſtratores, poſt annum ab adminiſtratione recedere, & Rationes ſui Muneris inire cogantur; vt hæ rectè colligantur, Curati, & Vicarij foranei locorum ſemper ad ſupputandum, noſtro nomine, accedant: & ſubductum poſtea calculum ſtatim Nobis fidiſſimè oſtendendum eſſe curent: aliàs Parochi, & Foranei ipſi Aes alienum propria pecunia diſſoluere teneantur; & rationes ab Adminiſtris aliter redditæ nullæ ſint.

5 Adminiſtratores cuncti Piorum locorum, qui Officij ſui rationes Parochis, & Vicarijs foraneis referre, poſt Adminiſtrationis annum, detrectant, vel cunctantur: ſiue, poſt redditas rationes, pecuniam quamlibet à ſe Pijs locis, vel ab alijs, ipſorum culpa, debitam, ad denarium, menſe elapſo, non ſoluunt, & ſuccedaneis Miniſtris abſolutè tradunt: ſiue bonorum, ac iurium fraudem, vel vſurpationem committent: vel tandem Piorum locorum Nummis, Frugibus, Cenſibus, & quibuſuis alijs Bonis, illa in rem ſuam, vel commodum vertentes, abutuntur, Excommunicationis pœnam non euadent.

6 Ipſi etiam Piorum locorum redditus, ſiue fructus, in alios vſus, etiam ſi charitatis forent, nunquam conuertantur, præter cuiuſque loci Inſtitutum. Quare nec Eleemoſynæ, vel minimę, erogentur, quæ in Statutis non continentur. Neque alij ſumptus in quodlibet opus, licet pium, fieri debent, ſine Epiſcopi ſententia. Res eorundem locorum ea omnimodo gaudeant immunitate, qua cętera bona Eccleſiarum. Atque, ad præſcriptum Extrauagantis *Ambitioſæ*, nullo pacto alienentur; vel cum alijs tranſi-

Sac. Congreg. Epiſc. ad Vicarium Bareñ 30. Iun. 1617.

gantur,

Digitized by Google

gantur, inſcia Epiſcopali Curia. Quemadmodum Miniſtri Laici nequeant omnino lites dirimere, controuerſias decidere, & concordiam quamcunque adducere, vbi Piorum locorum res agitur, Nobis inconſultis: etiamſi ea omnia in euidentem ipſorum vtilitatem cederent; ſub Excommunicationis pœna.

8 Qua etiam pœna cauemus eadem bona nullatenus locari eis, qui prçteritæ annuæ locationis pretium non perſoluerint: aperto, vel occulto nomine id agatur; ne difficiliùs hi nouum Aes alienum longè maius exonerare poſſint.

9 Qui in aliquo Aere alieno ſunt, nullo pacto in Adminiſtratores illorum locorum eligantur, quibus ſummam aliquam debent: Nec qui publicè excommunicati fuerint. aliàs Electio ipſa ſtatim nulla ſit; & tam qui eligunt, quàm qui electi ſunt, ſi Officio fungantur, ijſdem Pijs locis triginta ducatorum pœnam viritim ſoluant.

10 Cautè prçterea cuſtodiendus eſt liber, in quem, poſt Piorum locorum deſcripta Inſtituta, apertè relata ſint bona omnia mobilia, Cenſus, Obuentiones, atque vniuerſa ſtabilia perſpicuis Confinijs terminata. In quo poſtea libro, & non in quibuſdam chartulis ſeiunctis, rationes accepti, & expenſi connotentur. In eoque deinceps annuatim, per ſubductas rationes coram noſtris Deputatis, perſcribatur Aes alienum diſſolutum, ſiue contractum, quod Liberatoriam, & Significatoriam vocant; vt adminiſtrationis ratio liquidò conſtet; ſub pœna triginta librarum Cerç albæ laboratæ.

11 Neque pecunia, neque alia Piorum locorum bona, Clericorum Capitulis, ſiue Laicorum Vniuerſitati, mutuò, vel in Cenſum dentur, ſine noſtra venia. cum explorata res ſit huiuſmodi mutuum, ſiue Cenſum, permagnam Pijs locis perniciem, immo exitium, attuliſſe.

12 Montes omnes Pietatis quùm egenorum commodo, atque ſubſidio erecti ſint, eorum præcipuè neceſſitas mutuis nummis ſubleuanda eſt, & non callida alio-

rum

rum induſtria excitanda, vel alenda auaritia. idcirco inopes ita cæteris præferendi erunt, vt ipſorum bono, ac piorum Montium indemnitati, per ſufficientia pignora, conſulatur. Nec aliquid, vltra ſex aureos, pignori concedendum eſt. Pignora verò reapſe, & ſine fraude deponantur. atque eorum pretium duplo maius, quàm mutuata pecunia, ſaltem eſſe debet.

13 Redimendorum verò pignorum tempus per ſex menſes aſſignamus. quo elapſo illa, de more, abſque vlla fraude, ſubijciantur voci Pręconis; & iuſto pretio veneant. Cui venditioni ſi quid fortè ſupererit, Dominis illicò reſtituendum erit. Nec alicui permittimus, vt bona pro pignore tradita, mutare valeat, atque alia in eorum locum ſufficere. Neque, in fraudem Montis, pignora ſic redimere licet, vt breui temporis interuallo iterum pignori dentur; nanque hoc pacto Auctioni nunquam locus eſſet.

14 Sin autem accidat Adminiſtratores, quibus pignora data ſunt, illa, poſt ſex menſes, per auctionem non vendidiſſe, qui ipſis in Officium ſuccedunt, ea recipere non debent; ſed illorum periculo relicta ſint; neque in expenſi calculum admittantur: ijdemque primi pignoratij miniſtri illa auctionari debeant.

15 Qui tamen in priorum Officialium locum veniunt, pignora illa omnino recipiant, quæ ſemeſtris ſpatio non egrediuntur. Et qui Adminiſtrationem confecerunt, ſuccedaneis Miniſtris tradant antiquum rerum omnium Indicem, ſeu Inuentarium, cum nouo ſtatim conferendum; vt accepti, & expenſi ratio probè inter vtrunque conueniat. Atque in nouo Inuentario res cunctæ, tam conſumptæ, quàm auctæ, perſpicuè annotatæ cernantur. Quæ omnia minutim ſeruet pariter omnis Parochus, & quilibet Eccleſiæ Rector, dum animarum curam, vel templi, ſeu alterius cuiuſlibet Pij loci Adminiſtrationem dimittit; tradens priùs alteri, qui ſibi ſuccedit, exactiſſimum rerum omnium Inuentarium.

16 Bona, quæ pignori opponuntur, atque omnis alia

Suppellex, non penès Adminiſtros, ſed Piorum Montium domi, intra capſas vectibus obſeratas, eſſe debent: ipſiuſmet etiam Domus, ac Cellæ frumentariæ Oſtium, & Nummorum Arca duabus occluſa clauibus aduerſus vim omnem muniantur. Atque harum clauium vna apud aliquem è Magiſtris, ſiue Procuratoribus; altera penès loci Parochum cuſtodienda eſt; vt is, dum pignora dantur, ac reſtituuntur; dum Triticum, aut pecunia mutuò accipitur, vel redditur, interſit, ad fraudem omnem auertendam. Et curet ſimul eadem pignora à Tineis, puluere, omnique putredine in menſes ſingulos expurgari. Secus enim, ſi illa abroſa ſint; vel aliter, Procuratorum culpa, & incuria, deteriora fiant, ipſimet omne Pij loci detrimentum proprio ære ſarcire compellantur.

17 Apochas ſolutæ pecuniæ ſimulatas, ſuppoſitas, aut quo quo modo fictitias, qui conficiunt, vel admittunt; vt ſolutio illius Aeris alieni, quod Significatoriam appellant, callidè protrahatur, pœna falſi plectantur.

18 Quoties Piorum locorum fruges, ſiue nummi, ita licitè augeantur, vt ſalua annua accepti, & expenſi ſumma in Statutis determinata, quinquaginta ducatorum cumulus ſuperſit, toties eorum pretio bona ſtabilia, ſiue annui Cenſus, præuia noſtræ Curiæ licentia, intra duos menſes, emi debent. Quòd ſi eiuſmodi Emptio non ex voto accidat, id Nobis indicandum erit ab Adminiſtratoribus ipſis; ſub pœna viginti aureorum.

19 Ab egenis, quibus fruges, ſiue nummi mutuò dantur, lucrum nullum, etiam minimum, exigi poteſt; niſi aliter in ipſa Piorum montium Erectione, per Apoſtolica Diplomata, cautum fuerit; quod ad vnguem ſeruari debet. Quare omnibus egenis nullo fœnore circumuentis; vel indirectè coactis, liberum ſit propriam grati animi Eleemoſynam Pijs locis elargiri, dum nomina expediunt.

20 At nemini cuiuſuis Pij loci Eleemoſynario Quæſtori integrum eſt illas colligere, etiam in proprio Oppido, vbi pietatis ille locus conſiſtit, ſine expreſſa Noſtra licentia

Digitized by Google

Sac.Cong.Ep. ad Epiſc. Caſaleñ 6.Octobris 1597. & ad Collectoré Apoſtol. Portugall. 2. Auguſti 1594.

centia in ſcriptis redacta; ſub pœna viginti quinque librarum Ceræ. Quibus Noſtris mandatis obtemperent etiam reliqui Aduenæ Eleemoſynarum Quæſtuarij in tota Diœceſi; etiamſi Mendicantium Regulares eſſent; cum id tantummodo liceat Religioſis Mendicantibus, qui intra Diœceſim Domicilium habent.

Sac.Congreg. Epiſ ad Vicar. Laudeñ 28. Aug. 1584.

21 Nec Confraternitates, quæ hoſpitalitatem ex Inſtitutione non exercent, facultatem quæritandi Eleemoſynam à Nobis expoſcant; nam ab ea omnino reijcientur.

22 Vt conſideratiſsimè omnia agere decet eos, qui Pia loca adminiſtrant, ita planè indecorum eſt, ac perniciofiſsimum, Officiales ſumptibus eorundem locorum mutua inter ſe ſe Conuiuia curare, quæ Nos omnino damnamus; atque eorum expenſas in rationibus deputandis nullo pacto admittendas eſſe ſtatuimus.

23 Vbi ex Inſtitutione inopes Puellæ dotandæ ſunt, vt in honeſto matrimonio collocentur, nominatim hæ omnes in Album referantur. Nec earum aliqua Inſtituti Conditionibus careat. Ac præſertim ſingulæ egentes, & honeſtæ ſint, atque honeſtiſsimis Viris in matrimonium dentur.

24 Si quæ autem earum decedat abſque liberis, diligentia omnis in recuperanda Dote adhibeatur; quæ nubili iam alteri Virgini concedenda erit. Sed quibus hæc cura incumbit abſtinendum eſt prorſus à muneribus; ac multo magis à turpiter datis, & promiſsis, vt Dotem diſtribuant; ſub pœna Excommunicationis.

25 Opinione decipiuntur ſua, qui cum ad Vrbis Archiconfraternitates aggregentur, exiſtimant ſe earum Indulgentijs, Priuilegijs, ac prærogatiuis frui, ſola ipſius Aggregationis opera. At non eos hæc falſa ſpes alat; nam vt tot tantiſque bonis potiantur, in religioſo Sacramentorum vſu, ac præſcriptis Chriſtianæ pietatis operibus, præcipuè in publicis Proceſsionibus, ſe ſe diligentiſsimè exercere oportet.

26 Quare Confratres, quibus non ſunt Confratriarum

rum

rum Veſtes, ſiue Sacci, aut renuunt ſe illis indui Feſtis diebus ad ſolitas functiones obeundas: vel qui in Confraternitatum, Hoſpitalium domorum, Congregationum, vel Montium Pietatis Adminiſtratores creantur, tale munus obtrectant, à Pijs ijſdem locis perpetuò deleantur, ac noua Electio habeatur. Veſtes verò ad Societatis vſum factas nemo domi retineat; ſed in communi Confratrum loco reponat. Ac vbi quis è Sodalitate recedit, vel expellitur, ſiue mortem obit, eas Sodalitio relinquat neceſſe eſt.

27 Si verò alij quoque in eorum locum ſuffecti idem Officium pariter recuſent, ſupprimendus tunc erit locus ille à Curia Epiſcopali: eiuſque bona Parochiæ, ſeu Pio alteri loco, attribuantur. Illatū ex Trident. ſeſſ. 25. de Ref. c. 8. à §. Quod ſi Hoſpitalia.

28 In Hoſpitales domos nullo modo recipiantur Circulatores, Ioculatores, Vagabundi, Crimnoſi, nec qui, præ deſidia Mendicando, hùc, atque illùc diſcurrunt; ſed illæ Aegenis, ac Peregrinis liberaliter pateant. Ita tamen, vt ibi nil contra Chriſtianam pietatem perpetretur. Idcirco nec Mulieres cum Viris, nec Adoleſcentuli cum maioribus natu, intra idem cubiculum dormiant: niſi eos eſſe Coniuges, vel filios, publicis documentis Hoſpitalarius percipiat.

29 In his tot Cubilia continuò ſternantur, quot cuiuſque loci prouentus ferre poſſunt. Frugales etiam menſæ ita parandæ, aliaque hoſpitalitatis munia exercenda ſunt, vt qui hoſpitio excipiuntur, Chriſtianæ pietatis officijs recreentur; nec Xenodochij bona profuſa, aut furto ſublata ſint, vt ſæpiſſimè euenit.

30 Ipſa quoque Hoſpitalis domus ſuppellex vigilanter cuſtodiri debet; vt non humi proiecta, non incompoſitè occluſa, non mucida, ſiue corroſa ſit: aliter ipſe publici Hoſpitij Cuſtos, quique alij eius curam gerunt, damnum quodlibet reſarcire teneantur. præſertim ſi furtum aliquod fiat, quia ipſius publicæ domus oſtio peſſulum obdere non curarunt.

31 Pij omnes loci intra menſem, poſt huius Synodi

Digitized by Google

promulgationem, ſuas Conſtitutiones, ſeu Capitula, noſtræ Curiæ omnino mittant; vt in Regeſtum referantur; ſub pœna triginta librarum Ceræ albæ.

De Vita, & Honeſtate Clericorum. Cap. IX.

1 DVbitandum minimè eſt, quin Clericorum mores cæteris norma viuendi ſint. quocirca ita conſpicuum vitæ Inſtitutum in eis requirimus, vt vnuſquiſque *teſtimonium bonum habeat ab ijs, qui foris ſunt, & non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli.*

1. ad Timoth. c. 3. verſ. 7.

2 Agnoſcant præcipuè noſtræ Diœceſis Sacerdotes præſtantiſſimam ſui Ordinis dignitatem; & licet propria, ac ſuarum etiam Eccleſiarum tenuitas, eos ad elaborandum compellat; id tamen in ſuis Prædijs, qua par eſt decentia, ſolummodo præſtent. Nec diurno aliorum, etiamſi Magnates forent, ſeruitio, aut famulatu vileſcant. Ac multo minus rudi Animalium cuſtodia, vel turpi Veterinorum ductu fœdentur: à quibus abhorreant etiam Clerici; ſub pœna Carceris arbitrio.

3 Nemo Secularia negotia exerceat: neque ad Nundinas ſe conferat: aut, alia de cauſſa, à Diœceſi diſcedat, niſi cum bona à Nobis data venia, ob honeſtam aliquam cauſam; ſub pœna duodecim aureorum: cum penè omnes noſtri ſubditi ad Patrimonij titulum ordinati, & alicuius Eccleſiæ ſeruitio adſcripti ſint. Vicarij verò foranei quemlibet à Parochia diſcedentem Nobis protinus enuncient.

4 Venationibus à ſacris Canonibus prohibitis operam dare; vel Canes Venaticos, aut Accipitres, ſiue alias id genus Aues nutrire; aut denudatum piſcatui vacare, cuilibet interdictum eſt.

5 Nullus quoque ludat; nec alium ſuo nomine ludere faciat ludis à Iure improbatis: Talorum præſertim, & Alearum: immo nec loco, vbi iſtiuſmodi ludi exercentur, interſit.

6 Pila, Trochulo, Diſco, calculis diſcoloribus, Latrunculis,

culis, alioq. honeſto luſu; animi relaxandi ergo, & non pecuniæ gratia; nec in Triuijs, vel Plateis, nec cum Laicis, ſed remotè, & cum Clericis modeſtè ludere non dedecet.

7 Poſt primam noctis horam extra Domum vagari, niſi cauſa honeſtiſſima impellat; & tunc non niſi cum lumine incedere, omnibus vetamus.

8 Nocturnos cantus, Comædias, Fabellas, ſeu alias ludicras Repræſentationes, ac Farzas, vt aiunt, agere: Baccanalijs, Tripudijs, aut quibuſuis profanis Laicorum ſpectaculis intereſſe: vel aliquando laruatum, ſeu perſonatum incedere, prorſus damnamus.

9 Luſtris, Popinis, meritorijs tabernis, & quibuſcunque Comeſſationibus; etiam vbi in eorum nuptijs Seculares Epulum dare conſueuerunt, nullatenus indulgeant Clerici.

10 Nullus arma à Regijs Pragmaticis Sanctionibus prohibita aſportare, vel domi retinere audeat; ſub pœna Triremium per triennium. Qua obſtringantur etiam Clerici minores viginti quinque annis: dummodo decimum octauum excedant; nam tunc illos maiores eſſe declaramus. Et qui minores decimo octauo anno ſunt, mulctentur pœna carceris per tres annos. Ac ſatis iam probationis habeatur, ſi legitimè conſtet, eos tantummodo viſos fuiſſe, licet nondum apprehenſos, cum armis. Alia quoque arma nec deferant, neque alterum eorum vſum habeant, ad pœnam arbitrio.

11 Pœnam carceris per annum, atque aliam Nobis Arbitris feret, qui Contumacem, Homicidam, Exulem, atque alium Criminoſum, domum ſuam diuertere ſinet; vel alibi occultauerit; aut commercium cum eo habuerit.

12 Nec impune erit eis, qui non ſuæ, ſed Parentum, vel Conſanguineorum, domi manentes, ſe ſe opponunt, vim inferunt, atque aliter impedimento ſunt Miniſtris Secularis Iuriſdictionis; ne illam contra proprios Coniunctos exequantur: Vel ſi Propinquorum, aut Amicorum Animalia, ſiue res alias abdant domi ſuæ, vel alibi.

Digitized by Google

13 Seuerè etiàm omnibus prohibemus, ne domi retineant Mulieres alias, quàm Matrem, Sororem, Filiam legitimo matrimonio ſuſceptam ante Clericatum, Amitam, Materteram, & Fratrias; viuentibus tamen eorum Viris. Neque, præter has, Clerici mulieres alias legere, ſcribere, ſeu cantare, aut ſonare doceant, ſine peculiari noſtra licentia.

14 Nullam pręterea conſuetudinem cum ſuſpectis, vel Trid. ſeſſ. 25. c. 14. de Ref. ſcandaloſis Mulierculis habeant Clerici. Nec earum, vel minima, opera vtantur. Quemadmodum nec in Clericorum famulatu ſint Ancillæ, quę quinquagenarię non erunt, atque in nullam ſuſpicionem adducant: & ſpecialis noſtra licentia intercedat, quæ ſingulis annis gratis comprobanda eſt.

15 Nequeant Clerici, niſi iuſta de cauſa ſcriptis coram Nobis proferenda, ſe Clericatu abdicare. Ac tum Vicarij foranei eos vti Seculares, & Clericorum Priuilegijs carentes, inter Miſſarum ſolemnia, populo denunciabunt. Sac. Congreg. Epiſc. ad Epiſcopū Sulmoneñ 7. Iunij 1619. Qui autem ſpontè Clericatui ceſſit, Nobis inconſultis, ex omni ſpe illum reſumendi decidat, abſque Epiſcopi permiſſu: præſertim ſi, ob delictum, habitum abiecerit.

16 Qui ſuſcepto iam Clericatu amplius vti nolentes, tanquam Laici ſunt denunciati: vel qui nondum Clericali militiæ aſcripti ſunt, nullo pacto Clericalem habitum deferant, nec Clericorum miniſterijs ſe immiſceant. aliàs veſtem ipſam, cęteraque Clericatus inſignia, ſtatim amittant, & maiorem pœnam arbitrio Noſtro luant.

17 Clericorum habitus ita modeſtus eſſe debet, ac ſimplex, vt ſicut veſtis non niſi talaris, nigra, ac præcincta ſit; ita hi ab inciſo, & artificioſè elaborato Torace; à turgidis, ac diſſectis caligis; à Zona, ſiue Cingulo violaceo; à Manicis, Ligulis, ac Tibijs parùm verecundo colore in- Trid. ſeſſ 14. cap. 6. fectis, prorſus abſtineant; ſub pœna amiſſionis illorum, & carceris arbitratu*. At Contumaces, iuxta Tridentinum, acrius puniemus.

18 Quùm dignitate tantùm pręcipuos Sacerdotes An-

nulum

* laudat hoc a Sarnellio Tom. 8. Epistolar. Ecclesiasticarum Epist. XVI. pag: 127. pro[?] edit: =

Digitized by Google

nulum in digito geſtare deceat, maximæ leuitatis arguentur cęteri, & pœnam luent, ſi illum temerè digito induant. Quemadmodum eo prorſus vti nequeunt omnes, etiam Doctores, ac Canonici Cathedralium, dum Miſſam celebrant. Sac. Congreg. Rit. 11. Feb. 1623. & 20. Nou. 1628.

19 Vt Comam, ac Barbam alere non decet, ita quàm maximè fœda, & cum immaculati Agni Sacrificio atrociter pugnans eſt, eorum Sacerdotum dementia, qui, perditiſſimo Sicariorum more, ſuperioris labij pilos prominentes, intortoſque affectant, atque ad tremendum Domini Calicem applicare non exterrentur. Quocirca abhorreant planè omnes, etiam Clerici, tam indignum facinus, ac Barbam modeſtè inciſam oſtendant; ne Contumaces barba penitùs abraſa plectamus.

20 Clericali etiam Corona ſic continuò inſigniti appareant noſtri Clerici, vt quemadmodum, iuxta cuiuſlibet Ordinis gradum, à communi hominum vita magis, ac magis eleuantur, ita amplioris Tonſuræ ſigno ad inuicem diſcreti, excultius ſemper vitę Inſtitutum ſectari videantur.

21 Nullus Clericorum in Iudicio Seculari, de quacunque cauſa, pro alijs agere, procurare, vel patrocinari; in caſibus adhuc à Iure permiſſis: ſeu querelam aliquam, etiam citra pœnam ſanguinis, exponere: vel teſtimonium ferrę: aut pro alijs fideiubere; ſiue tutelam quampiam datiuam, aut legitimam: vel aliorum curam gerere, audeat, ſine ſpeciali noſtra licentia. quam tamen interuenire non oportet in proprijs cauſis Ciuilibus.

22 Nefas verò eſt Clericis Tabellionatus, ſeu Scribæ officio fungi apud Curiam Secularem. quemadmodum & Laici Gubernatoris, ſeu Capitanei, vt vocant, munus exercere. Nec Medici, ſeu Chirurgi artem tractare; vel Empiricum aliquod medicamentum alteri deferre licet.

23 Cuilibet Sacerdoti Diœceſano ſit ſuum Breuiarium, Ordo Romanus diuini Officij recitandi, Miſſale, Catechiſmus Romanus, Summa Nauarri, vel Toleti, ac liber aliquis ſacrorum Eloquiorum, vel pię exercitationis ad ani-

Digitized by Google

mi deuotionem excolendam. quibus omnibus non careant reliqui in Sacris conſtituti, pręter Miſſale. Sed Parochi ſuum inſuper domi habeant Rituale ſeparatum ab eo, quod in Sacriſtia ad communem vſum deſtinatur; ſub pœna viginti librarum ceræ.

24 Caueant tamen omnes ne ſacram ſuam Supellectilem pignori dent; etiam prætextu arduiſſimæ neceſſitatis; ſub pœna carceris arbitrio.

25 Diaconis, & Subdiaconis quolibet die Feſto conſcientia expianda eſt, ac ſacroſancta Euchariſtia deſumenda. Clericis verò prima ſaltem, ac tertia Dominica menſis; cunctis Chriſti Domini ſolemnitatibus; nec non B.Virginis, S.Michaelis Archangeli, S.Ioannis Baptiſtę, ſanctorum Apoſtolorum, S.Tutelaris propriæ Eccleſiæ, ac Feſto die omnium Sanctorum, idem planè obſeruent: aliter enim ad altiores Ordines prouehendi non erunt.

De Clericis Coniugatis, Diaconis Siluaticis, Oblatis, ac Tertiarijs. Cap. X.

Sac.Congreg. ſuper cõtrou. Iuriſdict. 27. Febr.1630.

1 Clerici Coniugati gaudent priuilegio fori, etiam in Ciuilibus.

2 In hac noſtra Diœceſi Diaconi Siluatici immunes prorſus ſunt à Laicarum Vniuerſitatum impoſitione pro capite, ac cæteris perfruuntur priuilegijs, quæ Sac. Cong. decreuit.

Eadem Cong. Immunit. 10. Calend. Iulij 1623.

3 Sæpè etiam Eminentiſsimi PP. Concilij Tridentini Interpretes ſtatuerunt Oblatos alicui Religioni neque fori priuilegio, aut Immunitate à vectigalibus, neque alia legitimæ conſuetudinis exemptione potiri; niſi perpetuò, irreuocabiliter, ac plenè ſe ſe ipſos, & bona ſua omnia pręſentia, & futura, nulla prorſus, quamuis minima, eorum portione in proprietatem, vel in vſumfructum ſibi reſeruata, Religioni obtulerint. Atque ea ad præſcriptam normam oblata, ſiue minimam illorum partem, nullo pacto deinceps

deinceps à Superiore Religionis in Emphyteuſim receperint, & Secularem habitum aliqualiter mutauerint. Quæ omnia ſimul, vt neceſſe eſt, in Oblatis noſtræ Diœceſis neutiquam inuenire potuimus; idcirco eorum Oblationes funditùs vacillare conſpicimus.

4 Tertiarij, qui trium Votorum ſubſtantialium profeſſionem ſolemnem non emiſerunt; neque intra Clauſtra degunt, Epiſcopi Iuriſdictioni omnino ſubiacent. Quamobrem, vt de eorum delictis pœnam debitam ſumamus, illorum crimina diligenter inquirant Vicarij foranei, quoties opus fuerit: Ita etiam in Tertiarias agant. Sac.Congreg. Epiſc.17.Maij 1583. & ad Epiſc. Piſtorien 10. Dec. 1616. Ead.Sac.Congreg.10.Maij 1584. & 10. Decemb.1616

De Ludimagiſtris. Cap. XI.

1 ENitantur Sindici, & Electi cuiuslibet Vniuerſitatis, intra quatuor menſes, Aere publico aliquem Ludimagiſtrum, ad piè erudiendos Pueros, vbique locorum conduci: vbi tamen ille non adſit, qui priuatorum Ciuium ſumptibus tale munus exerceat. Atque, vt noſtri Diœceſani ab ineunte ætate huius Synodi Conſtitutiones facilè percipiant, ac promptiùs exequantur, ijdem Ludimoderatores quotidiana exercitatione Synodum ipſam Pueris aperiant. idcirco illam prælis iam excuſſam ſingulæ Laicorum Vniuerſitates à Nobis dono datam libentiſſimè accipiant, & Puerorum Inſtitutioni addictam ſtudioſè cuſtodiant.

2 Quilibet etiam Ludiliterarij Inſtitutor, qui fidei profeſſionem coram Vicarijs foraneis nondum emiſit, illam intra menſem, poſt euulgatam Synodum, facere non omittat; eiuſque authenticam fidem ad Epiſcopalem Curiam deſtinet. Trid. ſeſſ. 5. c.1. & 2.

3 Quoniam vita, ac mores Ludimagiſtri Cenſura quædam ſunt, ad quam perpetuò ſe conuertunt Pueri; qui exemplo magis, quàm imperio ad virtutem informantur, nulla maiori induſtria Præceptoribus contendendum eſt,

quàm vt tenerrimæ ætati ſeſe Chriſtianæ innocentiæ ſpecimen, ſpirantiſque virtutis ſimulacrum aſſiduò præbeant.

4 Primùm igitur curent Adoleſcentulos Chriſtianam Doctrinam optimè callentes, eam quolibet Sabbato memoriter recitare: Sacramentalem Confeſſionem, ac diuinam Communionem, ſi per ætatem licet, ſingulis ſaltem menſibus, frequentare.

5 Connitantur deinceps ſuos Diſcipulos matutina in Deum mentis oratione eleuari: Sacroſanctæ Miſſæ auſcultationi addictos eſſe: Officij diuini, vel ſaltem Virginis Deiparæ, recitatione excoli: intereſſe Sacris Concionibus: veſpertino Conſcientiæ examini aſſueſcere: piaſque alias Chriſtianæ Diſciplinæ exercitationes, Sanctiſſimum præſertim Beatæ Virginis Roſarium, colere, & celebrare.

6 Emineat etiam ex apto Gymnaſij pariete Chriſti Domini, vel Dei Genitricis imago; ante quam omnes Pueri genibus flexi, dum, abſolutis lectionibus, diſceſſuri ſunt, conſona voce pronuncient Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, & fidei Symbolum: deinceps ſe Crucis ſigno munientes abeant.

7 Iactis his Virtutum fundamentis, dubitandum non eſt, quin permagni in ſtudijs literarum progreſſus fiant. Sed obſcœni Authores ita abominationi ſint, vt nec domi habeantur; ne eorum petulantia ingenui Adoleſcentium mores, candidæque vitæ integritas deprauetur.

De Excommunicatione pro Rebus deperditis. Cap. XII.

1 SAepè ſæpius conantur multi Anathematis monitiones à noſtra Curia impetrare, pro rebus deperditis, damnis ſibi illatis, vel alia iactura; cuius tamen memoria, cum ſupra decennium ſit, non facili coniectura deprehendi poteſt. Quam ob cauſam non paucorum Conſcientiæ illaqueantur, dum ſcrupulis, ſeu potius dubijs, mirum in modum

modum diuexantur, ſe ſe eam diligentiam minimè adhibuiſſe, quæ ad horum reminiſcendum neceſſaria eſſe videtur. Idcirco, vt tot tantiſque dubitationibus, ea, qua par eſt, ſolicitudine obuiam eamus, probè intelligant omnes hoc noſtrum eſſe conſilium, vt huiuſmodi monitiones locum dumtaxat habeant in caſibus, qui infra quinquennium accident; ac pro damno valoris ſaltem quinque aureorum: pro vt pauperrimæ Diœceſis conditio fert.

2 At ſi eiuſmodi monitoriales literæ pro pijs locis, Pupillis, Minoribus, Abſentibus, ac miſerandis perſonis efflagitentur; quùm hę proprię indemnitati occurrere, per ętatem, abſentiam, ac mendicitatem, nequeant, ęquum planè eſt ipſarum precibus libenter annuere; quamuis de decennio, ac maiori tempore, vel de minori ſumma agatur.

3 Priuſquàm Parochi Excommunicationis capita denuncient, perpendant ſemper noſtrę Curię reſcriptum; atque ab eius norma ne latum quidem vnguem diſcedant.

4 Curatis etiam diſtrictè prohibemus Excommunicationem aliquam denũciare; ac multò magis eandem fulminare, Nobis, vel generali Vicario noſtro, inconſultis. Ita quoque, ſi, poſt debitas monitiones, nonnullæ reuelationes interſint, eas intra obſignatam epiſtolam ad Nos mittant; nec interim vllum Excommunicationis fulmen iacere debent: quemadmodum nec pro monitionibus quid minimum ſupra ſolitum admittere poſſunt.

De Vſuris. Cap. XIII.

1 TRes hactenus in hac Diœceſi reperimus caſus, in quibus fœnora agitari haud ambigimus. ideo illos ſtrinctim attingere volumus, vt omnes vna cum Nobis eoſdem maximè deteſtentur.

2 Primus Caſus eſt eorum, qui Boues, Abſque Cornibus, vt aiunt, in Lucro ponere conſueuerunt. Hi enim re

vera

Digitized by Google

vera Bouem non tradunt, ſed tantummodo pretium illius; ac ſolitum deinceps locati Bouis quæſtum exigunt; licet Bos nullus ad elaborandum concedatur. atque ita ſine vllo mortis, aut alterius iacturæ, vel minimi damni periculo, emolumentum perpetuum mutuatæ ſolummodo pecuniæ ſentit is, qui fictitium Bouem locare dicitur.

3. Secundus Caſus eſt, cum Animalia pretio quodam, vt vocant, Surto, in ſocietatem dantur. nempè dum aliquis ita Animal concedit ſocio, vt ſimul paciſcantur, debere eum, qui illud fœnori ſumit, vltra ſolutos fructus, integrum etiam, vel dimidium eius iam ſtatutum pretium cedenti reſtituere; etiam ſi Animal ipſum non ſocij culpa moriatur, vel pereat, ſeu quippiam aliud mali ſuſtineat: adeo vt lucri, & iacturæ ratio æquè communis non ſit.

4 Poſtremus Caſus verſatur in ea ſocietate, vel locatione Bouis, quam, Ad Pedaticam, appellant. vt nimirum Conductor, vel ſocius perſoluat alteri conſuetam frumenti ſummam, ſeu locationem; &, cum Boues reſtituit, tantum pretij reddat, quanti valebant tempore initæ locationis: quamuis tamen ijdem Boues diurno ipſo labore deteriores fiant: ac propterea ei, qui locationis commodum ſentit, ſeneſcere, & vileſcere debent.

De Clericorum Seminario. Cap. XIV.

1 CVm Epiſcopi in eam curam maximè intendere debeant, vt Clericorum Seminarium pietati, ac literis deditum, perpetuò effloreſcat, mirum eſt quàm ruditer, ſine Moderatore, ac legibus, noſtrum Seminarium hucuſque neglectum ſit. Sed ei, Deo auſpice, in prima generali Viſitatione, debita iam Inſtituta præſcripſimus: ac Rectorem præfecimus illum, qui Statutis faciendis; diuinis præcipuè meditationibus, conſcientiæ examini, Sacramentorum frequentationi, ſacrarum Cæremoniarum, Rituumque Eccleſiaſticorum exercitationibus, Colloquijs

pijs,

Digitized by Google

pijs, ac literarum ſtudijs, diligentiſſimè præſit.

2 Deſtinauimus præterea Ludimagiſtrum, qui nil ſibi magis propoſitum habeat, quàm vt Adoleſcentes vtilibus præceptis imbuantur; ac noſtræ Synodi Conſtitutiones probè teneant. quas idcirco eis quotidie proponere, & enucleare ſtudeat. Sed antequàm aſſiduas liberalium diſciplinarum exercitationes aggrediatur, eaſque abſoluat Seminarij Præceptor, primùm S. Thomæ Aquinatis Orationem illam, cui eſt initium *Creator ineffabilis* &c. ac tandem aliam pro gratiarum Actione, quæ incipit *Agimus tibi gratias* &c. ab vno Alumnorum pronunciandam eſſe curet. Idque potiſſimùm mente ſemper agitet erga ſuos Auditores, ſe morum potiùs, quàm ſtudiorum Magiſtrum eſſe.

3 Numerus verò Alumnorum noſtri Seminarij eſt duodecim Clericorum; qui, bona Indole præditi, ex vniuerſa Diœceſi, per vices eligantur.

4 Conuiuarum item annua Solutio erit viginti quinque ducatorum; quam per Semeſtre anticipare; eoſque ad diem ſoluere oportet.

5 Taxa denique contributionis pro Seminario hęc eſt: Videlicet

Polycaſtrum:

Capitulum Polycaſtrenſe.	ducati	13. 2. 16.	S. Catharina de S. Laurentio.	duc.	0. 0. 10.
S. Auguſtinus de Paſchali.	duc.	0. 1. 13.	S. Maria Gratiarum de Tarquinio.	duc.	0. 3. 0.
S. Spiritus D. Troiani.	duc.	0. 1. 0.	S. Catharina de Barzellonis.	duc.	0. 3. 15.
S. Catharina de Luca.	duc.	0. 1. 6.	S. Maria de Martyribus de Coſcina.	duc.	0. 3. 10.
S. Sebaſtianus de Iudice.	duc.	0. 2. 2.	S. Catharina, & S. Lucia D. Philippi.	duc.	0. 3. 18.
S. Leonardus.	duc.	0. 0. 14.	Beneficium q. D. Petri Arlei nunc D. Philippi.	duc.	0. 2. 8.
S. Catharina de Santoro.	duc.	0. 1. 12.	D. Octauius Laurus pro eodem Beneficio.	duc.	0. 2. 8.
S. Franciſcus.	duc.	1. 0. 4.	S. Ioannes Baptiſta de Santoro.	duc.	0. 3. 3.
S. Maria de Cripta.	duc.	1. 3. 2.			
S. Angelus.	duc.	1. 1. 18.			
S. Spiritus de S. Laurentio.	duc.	0. 2. 0.			

S. Ma-

Digitized by Google

S. Maria Gratiarum de Af-ſaldis. duc. 0. 2. 5.
Beneficia q. Baltaſſaris, & q. D. Polidori Santori vacantia per obitum D. Ioannis Leonardi Lombardi. duc. 1. 1. 0.
S. Margarita. duc. 0. 2. 5.
S. Maria de Succurſu. duc. 0. 0. 10.
S. Maria Magdalena. duc. 0. 0. 14.
S. Antonius. duc. 0. 0. 10.
D. Hector Palumbus pro beneficio Rurali. duc. 0. 2. 10.
Archidiaconatus. duc. 3. 1. 10.
Cantoratus. duc. 3. 1. 10.
Pietas de D. Hieronymo. duc. 0. 0. 14.

duc. 33. 4. 4.

Battaleæ.

Clerus. duc. 1. 2. 0.
S. Maria de Pietate. duc. 0. 2. 10.
Beneficium DD. de Galottis. duc. 0. 4. 10.
Confraternitas Sanctiſsimi Sacramenti. duc. 0. 2. 10.
Confraternitas Annunciationis. duc. 0. 3. 0.
Confraternitas Roſarij. duc. 0. 0. 12.
Confraternitas S. Antonij de Padua. duc. 1. 2. 10.
Sanctiſsimum Sacramentum. duc. 0. 0. 15.

duc. 5. 3. 7.

Camerotæ.

Clerus. duc. 4. 0. 8.
S. Ioannes Baptiſta. duc. 0. 2. 0.
S. Maria de Stella. duc. 0. 0. 10.
S. Bernardinus. duc. 0. 2. 5.
S. Petrus, Saluator, & S. Ioannes Baptiſta. duc. 0. 1. 10.
Conceptio. duc. 0. 1. 13.
S. Franciſcus. duc. 0. 1. 0.
S. Maria de Angelis. duc. 0. 4. 16.
S. Antonius. duc. 0. 0. 10.
S. Maria de Conſtantinopoli, & S. Maria de Catena. duc. 0. 1. 4.
S. Stephanus. duc. 0. 0. 15.
Annunciatio de Noui. duc. 0. 1. 7.
Regina cœli. duc. 0. 0. 10.
S. Maria de Carmelo. duc. 0. 0. 13.
Præſepe. duc. 0. 0. 13.
S. Maria de Catena. duc. 0. 0. 10.
S. Catharina. duc. 0. 0. 13.
S. Maria de Angelis. duc. 0. 1. 13.
S. Maria de Laureto. duc. 0. 0. 15.
S. Vincentius. duc. 0. 1. 13.
S. Maria de Gratia, & nomine Ieſu. duc. 0. 2. 10.
S. Franciſcus. duc. 0. 0. 15.
S. Bernardinus. duc. 0. 3. 15.
S. Catharina. duc. 0. 3. 15.
Sanctiſsima Trinitas. duc. 0. 1. 0.
S. Andreas. duc. 0. 0. 17.
S. Leonardus. duc. 0. 0. 10.
S. Maria de Conſolatione. duc. 0. 0. 10.
S. Maria de Gratia. duc. 0. 0. 10.
S. Vincentius. duc. 0. 0. 10.
S. Maria de Succurſu. duc. 0. 1. 0.
S. Maria de Martyribus. duc. 0. 0. 15
S. Maria de Conſtantinopoli. duc. 0. 4. 4.
S. Antonius de Padua. duc. 0. 0. 10.
S. Maria Pietatis. duc. 0. 3. 3.
S. Maria de Arcu. duc. 1. 0. 0.
S. Maria de Pietate. duc. 0. 0. 10.
S. Antonius. duc. 0. 0. 15.
S. Maria Gratiarum. duc. 0. 1. 12.
S. Barbara intus Caſtrum. duc. 1. 2. 10.
Annunciatio. duc. 0. 1. 0.
S. Sophia. duc. 0. 0. 10.
Hoſpitale S. Viti. duc. 0. 2. 2.
Sanctiſ. Sacramentũ. duc. 0. 2. 14.

San-

Sanctiſſ. Roſarium. duc. o. o. 10.
Sanctiſſ. Trinitas. duc. o. o. 12.
Abbatia S. Iconij. duc. 5. o. o.

duc. 23. 1. 17.

Caſalectum.

Clerus. duc. 4. o. 10.
Confraternitas S. Ioannis. duc. o. 1. 2.
S. Maria de Martyribus. duc. o. 3. o.
Beneficia poſſeſſa per D. Bernardinum Santorum. duc. o. 4. 10.

duc. 5. 4. 2.

Caſellæ.

Clerus. duc. 1. o. 10.
S. Ioannes Euangeliſta. duc. o. o. 10.
S. Maria de Carmelo. duc. o. o. 10.
Spiritus Sanctus. duc. o. o. 10.
S. Maria de Laureto. duc. o. o. 10.
Sanctiſſimum Sacramentum. duc. o. 2. 10.
Sanctiſſ. Roſarium. duc. 2. 3. 10.
S. Ioannes Baptiſta. duc. o. o. 10.
Præſentatio de Cuſatis. duc. o. o. 12.
S. Rocchus. duc. o. o. 10.
S. Maria de Succurſu. duc. o. o. 10.
Annunciatio de Criſpis. duc. o. 1. 2.
S. Catharina de Criſpis. duc. o. 2. o.
S. Sophia & S. Sebaſtianus. duc. o. o. 10.
S. Petrus. duc. o. 1. o.
S. Antonius de Padua duc. o. o. 10.
S. Stephanus. duc. 1. o. 14.
S. Antonius de Vienna. duc. o. o. 15.

Abbatia S. Angeli ad Piſcarim. duc. 10. 4. o.

duc. 18. 1. 3.

Cellæ.

Clerus. duc. 1. 2. o.
Saluator. duc. o. 1. 12.

duc. 1. 3. 12.

S. Ioannes ad Pyrum.

Clerus. duc. 3. 1. 10.
S. Catharina de Tomaſijs. duc. o. o. 10.
Annunciatio de Ferrarijs. duc. o. o. 10.
Abbatia S. Ioannis. duc. 30. o. o.

duc. 33. 2. 10.

Lacusliber.

Clerus. duc. 10. 4. 10.
Conceptio de Roſſis. duc. o. 4. 10.
Sanctiſſ. Roſarium. duc. o. o. 18.
Annunciatio. duc. o. 3. 15.
S. Maria de Martyribus de Galottis. duc. o. o. 15.
Congregatio. duc. o. o. 12.
S. Maria de Gratia. duc. o. 2. 5.
Preſétatio de Creſci. duc. o. 2. 10.
Aſſumptio B. Virginis. duc. o. 1. 4.
Pietas de Paſtori. duc. o. 1. 13.
S. Sebaſtianus. duc. o. o. 10.
S. Blaſius. duc. o. o. 15.
S. Petrus de Pirrhi, & Hoſpitale. duc. 1. o. 10.
S. Antonius de Pirrhi. duc. o. 2. 2.
Hoſpitale de Paſtori. duc. 1. 1. o.
Hoſpitale S. Ioannis. duc. o. 1. 16.
S. Crux. duc. o. 1. 8.

San-

Sanctiſſima Trinitas. duc. o. 2. 5.
S. Lucia. duc. o. o. 10.
Purificatio de Mazzei. duc. o. 1. o.

